UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Ivstitia Et, Ivs. Sex Libris totidem Tractatus appono, nempe de rerum Dominio, de Restitutione, de Contractibus Gratuitis, de Contractibus Onerosis, de Contractibus Fortunæ, de Contractibus Adminicularis, de Quasi-Contractibus, & nonnullis Innominatis

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lugduni, 1663**

Sectio II. Dubia de Contractibus onerosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-80681

Visual Library

*vrban.c.1 per quos fiat.inueſt. l. 2.feudi. Auth. de non alien.rer.Eccleſ.*

95 *De feudi acquirendi modis tribus.* Feudum tribus modis acquiritur. Primo inueſtitura, quæ erat apprehenſio poſſeſſionis feudi,& fit, cum haſta, vel aliud inſtrumentum (vt gladius, vel vexillum) traditur domino. Secundo, præſcriptione, quæ debet eſſe in ſæculari feudo annorum 30. in Eccleſiaſtico 40. contra Romanam Eccleſiam 100. Tertio, ſucceſſione, vnde capti aliquo membro, iure feudorum non ſunt habiles ad ſucceſſionem in feudo paterno vel antiquo, vſu tamen & conſuetudine poſſunt ſuccedere; quia licet perſonaliter non valeant obſequium domino præſtare, poſſunt per alium. Fœminæ regulariter non admittuntur in feudo, niſi exprimantur, & feudum ſit fœmineum; vel omnino francum, ac liberum. *Quinā ſint & quinam non ſint feudi accipiendi capaces.* Ex filiis è duobus matrimoniis in feudo præferendi ſunt ij, qui ſunt ex priore niſi feudi qualitas aliud ſuadeat. Illegitimi non ſuccedunt, ſed naturales facti legitimi per ſubſequens matrimonium ſuccedunt in feudo. Clericus iam ſacris initiatus, vel beneficiatus retinere poteſt feudum paternum. Religioſus poſt profeſſionem feudum amittit. Filliuc. *tractat. 36. capite decim.* Azor. *part. 3. l. 11. cap. 10. q. 4.* Lorich. *v. Feudum, num. 7.*

## *SECTIO SECVNDA.*

## Dubia de Contractibus Oneroſis.

### CAPVT VIII.

### *Circa emptionem, & venditionem.*

#### DVBIVM I.

*An res, quæ nec pretium legitimum, nec vulgare habent, poſſunt vendi, quanti contrahentes inter ſe conuenerint?*

96 *Quæſtionis ſtatus.* PRocedit quæſtio de rebus exquiſitis, ac nouis, quales ſunt gemmæ, antiquæ picturæ, aues, animalia exquiſita. Et eadem eſt difficultas de operatione operum non neceſſariorum, an pro ipſis quodlibet pretium quantumuis exceſſiuum exigi poſſit, v.g. pro vſu mulieris, pro cantu, pro ſaltatione?

97 *Poſſunt vendi, quanti libuerit.* Poſſunt hæc vendi, quanti contrahentes inter ſe conuenerint. Quia hæc nec legitimum pretium, nec vulgare habent: Ergò ex contrahentium voluntate illud ſortiri debent Et quia cum hęc non ſint vſui hominum neceſſaria, ne venditor à ſe ea alienare teneatur, poterit ab emptore exigere quidquid ſibi placuerit, alias nolle vendere. Sic Sotus *l. 6. de iuſt. qu. 2. a. 3.* Ioan. Med. *de reſt. q. 32.* Pet. Led. *p. 2. tr. 8. c. 32. concl. 5. reg. 3.* Bannes *2. 2. q. 77. a. 1.* Salon *contr. 3. & 4.* Val. *ibi, d. 5. q. 20. pun. 1. §. 3.* Nauarr. *de reſt. l. 3. c. 2. n. 1.* Mann. *v. Venditio c. 77. concl. 2.* Tolet. *de ſeptem peccat. c. 48.* Sà *v. Emptio, n. 3. & ver. Venditio, n. 14.* & alij.

Non poſſunt hæc vendi, quanti contrahentes inter ſe conuenerint, ſed illud pretium exigi poteſt, quod prudentis arbitrio ſpectatis circunſtantijs iuſtum cenſebitur. Quia in his rebus, quæ legitimum, aut vulgare pretium non habent, illud pretium eſt cenſendum iuſtũ, quod communiter iuſtum ęſtimaretur, ex illa enim communi æſtimatione conſtitutio pretij, quæ eſt quaſi quædam lex, pendet, nõ autẽ ex voluntate cuiuſque, aut ex ſingulari alterius affectu. Ita Nauar. *ſum c. 23. nu. 78.* Caiet. *2. 2. q. 77. a. 1. & opuſc. 17. reſponſ. 12. dub. 3.* Mol. *d. 384.* Leſ. *libro ſecund. capit. 21. dub. tertio* Reb. *p. ſecund. de iuſtit. l. 6. quæſtion. ſecund. ſectio ſecunda n. 10.* Palaus *de iuſt. d. 5. p. 3. n. 3.* Salas *de empt. dub. 5.* 98 *Vendi non poſſunt.*

Mihi magis hoc placet. Diſſonum namque rationi eſt, rei valorem ex proprio tantum iudicio, & ex nimio emptoris affectu, ac animi leuitate penſare. Vbi reſolutiur *leg. Pretia rerum ff. ad leg. Falcid.* licet autem non ſit pretium legitimum, aut vulgare illius rei ſtatutum, ſtatuendum tamen eſt non ex contrahentium voluntate, quæ plerumque ex inordinato affectu ducitur; ſed ex voluntate communi prudentum, illorumque iudicio, quibus res arbitranda committi debet. 99 *Mihi hoc magis placet.*

#### DVBIVM II.

*Cum exteri triticum per mare aſportatum vltra taxam legitime vendunt, poſſuntne naturale triticum ex ſuis agris collectum vel aliunde adductum, æque bonum, imò melius, eodem pretio vendere?*

SVppono, exteros aſportantes per mare triticum, vt in his Regnis vendant, iuſtè à 100 *Nonnulla ſuppono.*





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

taxa lgeis eximi, vt ſic ad adducendum triticum, quo Prouincijs huius Regni indigentibus ſubueniatur, excitentur. Ne quidem hoc priuilegium exteris ſolum eſt conceſſum. Nam ſi indigenæ per mare triticum aſportent, eodem modo ac exteri abſque taxa vendere poſſunt. Non autem id competit eis, qui triticum per terram adducunt. Hinc grauis oritur difficultas, an naturales frumentum ex ſuis agris collectum, quod eſt æque bonum, imo forte melius poſſint ſine taxa vendere, cum exteri ſene taxa vendunt?

101 *Non poſſunt.* Minimè poſſunt. Quia ex venditione excedente taxam conuincitur, taxam iuſtam non eſſe, cum non taxet pretium æquale valori frumenti, quod tunc ex natura rei habet ſpectatis circunſtantijs occurrentibus, ſic docti, quos conſului.

102 *Poſſunt quidem.* Poſſunt quidem. Quia ſecundum naturalem valorem frumenti medium, vel rigoroſum amplius vendi poteſt. Ita Reb *p.2.de iuſt.l.9.q.2. ſect. 2.*

103 *Auctoris ſententia.* Ego autem exiſtimo, ſi exceſſus non ſit vltra tertiam partem, nequaquam poſſe naturales taxam excedere. Quia non eſt cenſenda taxa ceſſare, quippe cenſenda eſt contineri intra latitudinem iuſti pretij naturalis, attingeréque infimum illius. Secus dixerim, ſi exceſſus vltra tertiam partem communiter procederet, conuinceret enim, taxam non adæquare iuſtum pretium naturale, & conſequenter illius obligationem à Principe abrogari debere. Vt probare videtur Molin. *diſputatione 364.*

## DVBIVM III.

*Si tritico ex malitia admiſceas grana inutilia aut vino optimo deterius, vel aquam, aut veteri nouum, ita vt ex admixtione huiuſmodi deterius non fiat, poteſne pretio taxato vendere?*

104 *Potes quidem.* POtes, ac ſi nulla mixtio facta eſſet. Quia ſi triticum illud adduceretur ex area ſic ſordidum ac paleis permixtum ſicuti poſtmodum ex malitia conſtituitur, pretio legis licitè (vt ſupponimus) venderetur: Ergo etiam vendi poteſt etiamſi ex malitia poſtea miſceatur, parum enim refert emptori, quod ſic ſordidū ſit ex area adductum, vel domi immixtum. Idem argumentum de vino fieri poteſt. Si enim ob illius mixtionem malitioſam deterius non redditur, parum refert emptori, quod ſit, vel non ſit ex malitia permixtum. Sic Lud. Lopez *p.2.Inſtr.c.42.aliàs* 192. Leſ.*l.2. c.21.dub. 11.n.85.*

105 *Non potes.* Non potes. Quia taxa appoſita eſt tritico prout ex area plerúmque colligitur, & vino prout ex muſto naturaliter conficitur, velle autem paleis, vel aqua, vel alio deteriori mixtum eodem pretio vendere ac purum, & ſanum triticum, & vinum, iniquum eſt, cum ex hac mixtione non accipiant ex ſe vllum valorem, ſed rem mixtam, & quæ ſub pretio legis continebatur deteriorem reddunt. Ita Rebel. *part. 2. do iuſt.l.9.qu.8.num.17.* Medin. *libro prim ſum. §.14.* Petr. Ledeſ. *part. ſecund. ſumm. tractat. 8. capite 32. poſt. 7. concl. difficult. ſecund.* Manuel *part.2.cap.79.num.10.* Mol. *tract. ſecun. d.353.* Salas *de empt. dub. 12. numero ſecund.* Azeue. *ad l. 4. titulo 25. libro quinto compilat. in comment. ad leges additas pag. 65 in fine, numero ſecundo.*

Etſi ſententia prima ſpeculatiuè probabilis videatur, practice tamen nequaquam admitterem, ne via fraudibus, & malitijs aperiatur. Secundam verò ſententiam tempero, ne procedat, cum pretium non eſt lege taxatum, ſed ex communi vulgi æſtimatione habetur. Eo namque euentu cenſeo illud mixtum ex malitia, licitè vendi poſſe eo pretio, quo res aliæ eiuſdem bonitatis, & qualitatis iuſtè venduntur. Rationem differentiæ reddo. Quia lex facere poteſt, vt res inæquales in bonitate ob bonum commune æquali pretio vendantur, & æquales minori pretio, vt in tritico per mare aſportato, vel ibidem collecto. Secus vero hominum æſtimatio, quæ pretia rebus ſecundum earum bonitatem ſpectatis circunſtantijs conſtituit, ſcio tamen meo Ferdinando de Caſtro Palao hanc limitationem non placere, eo quod exiſtimet raro vel nunquam hac mixtione adulterina facta, rem æqualis bonitatis exiſtere, cum ea, quæ illa caret mixtione. Neque eſt verum (addit) res notabiliter inæquales in bonitate eodem pretio, & æquales minoris ex præſcripto legis vendi, quia lex poſitiua ſemper æqualitatem cum pretio naturali ſeruare intendit. Sed hoc non vrget, vt à limitatione illa recedam. 106 *Auctoris ſententia.*

## DVBIVM IV.

*An ſit contractus iniquus, quo triticum, vel aliam mercem quis vendit pretio à lege taxato ſub conditione, quod emptor in moneta aurea, vel argentea ſoluat?*

INiquus non eſt. Quia petens ab emptore, vt pretium in moneta aurea, vel argentea ſoluat, non petit aliquid vltra pretium lege taxatum, cum pretium taxatum ſit indifferenter ſoluendum in moneta aurea, argenta, vel ærea Sic graues viri, quorum ſcripta nondum excuſa legi. 107 *Non eſt iniquus contractus.*

Iniquus eſt. Quia obligare emptorem, vt mercem ſoluat in moneta argentea, onus eſt pretio æſtimabile, tùm quod emptoris libertas adſtringitur, cui conceſſum erat in qualibet moneta ſoluere. Tum quia ad hanc ſolutionem faciendam ſæpe indigebit ſua bona vilius vendere. Tum quia moneta argentea communi hominum æſtimatione pluris habetur. Ita doctiſſimi Magiſtri, quos conſului. 108 *Contractus eſt iniquus.*

Fateor ingenue, me aliquando primæ ſententiæ ſectatorem rationem ſecundæ non multi eſſe valoris duxiſſe. Admittebam enim illā conditionem pretio eſſe æſtimabilem, ſed non inde indicabam inferri; licite peti non poſſe. Nā etiam eſt pretio æſtimabile, obligare alterum, vt mihi 109 *Auctoris iudicium.*

mihi iuſto pretio ſuas merces vendat, alias non venditurus: & nihilominus potes nolle vendere illi triticum, ſi ipſe nolit tibi vendere merces neceſſarias: Ergo ſimiliter poteris nolle vendere, niſi emptor in moneta argentea, vel aurea ſoluat. Attamen re attentius conſiderata putarim, verius eſſe, non licere vendere triticum, aliamve mercem, quæ pretium lege taxatum habet, arctando emptorem, vt in moneta aurea, vel argentea, ſolutionem impediat. Quia vltra prettium legis conditio oneroſa ab emptore exigeretur. Nam cum pretium legale adſtrictum non ſit monetæ aureæ, vel argenteæ, tu vero emptorem adſtringis, conuinceris, vltra pretium legis illum onerare. Præcipue autem id non licet hac tempeſtate, (tempeſtatem Reipublicæ quidem, non tempus apte vocito) qua aurea vel argentea moneta adeo ſuperat in valore æream, vt ſi quis nouem regales argēteos pro hordei modio iuxta taxam exigeret, tredecim cum dimidio hodie in Regnis Caſtellæ receptaret. Iniquum itaque prorſus eum contractum cum reſtituendi obligatione iam teneo.

---

### DVBIVM V.

*Emit quis triticum vltra taxam ab eo qui licitè vendit ratione aſportationis: Poteritne id eodem pretio alteri reuendere?*

110 *Poterit planè.* POterit planè. Quia illud triticum ſemper retinet qualitatem aſportationis ob quam permittitur, vltra taxam vendi. Sic petr. de Ledeſ. *p. 2. ſum. tr. 8. c. 32. diffic. 15. de taxa.*

111 *Minime poterit.* Minimè poterit. Quia ille exceſſus vltra taxam non fuit primo venditori conceſſum ob triticum, ſed ob illius aſportationem, atque adeo non eſt pretium tritici ſed aſportationis. Cùm ergò ille non aſportauerit, ius habere non poterit, exceſſum illum exigendi: Ita Salas *de empt. & vend. dub. 16. n. 2.* Palao *de iuſt. d. 5. pun. 8. num. 2.*

112 *Auctoris diſtinctio, & reſolutio.* Ego autem hanc ſententiam veriorem eſſe puto, ſi de tritico aſportato per terrā loquamur. Nam de tritico per mare aſportato, veram eſſe Ledeſmæ opinionem reor. Quia hoc triticum nulli taxæ ſubiicitur, ac proinde ad cuiuſcumque manus peruentari poterit pretio, quod ſecundum communem hominum æſtimationem iuſtum fuerit, vendi. Attamen licet venditionis ratione non valeat ille hoc incrementum ex tritico per terram aſportato accipere: poſſet tamen ratione damni emergentis, ſi alius vellet eodem pretio triticum habere; quia æquum non eſt, vt ex officio pietatis incommodum reportet. Lege. P. Ioan. de Salas *dub. 24. n. 4.* & Vegam *v. Trigo, caſu 1.*

---

### DVBIVM VI.

*An iura aſportationis exigere poſſit qui tempore abundantiæ, quando neceſſum non eſt triticum aſportari; id geſſerit?*

NOn poteſt exigere. Quia hæc conceſſio tempus ſterilitatis, ac penuriæ videtur 113 *Non poteſt exigere.* ſpectare: nam pro aliis temporibus ſuperflua videbatur, cum abſque aſportatione triticum reperiatur. Sic Ledeſ. *parte ſecunda ſum tr. 8. c. 32. diffic. 13.* Vega *v. Trigo, caſu. 15.* & alij communiter.

Exigere poteſt, quia lex non diſtinguit, eo 114 *Poteſt exigere.* tempore abundantiæ quis aſportauerit, an ſterilitatis exigentia: tametſi in conceſſione ſuccurri ſpectauerit tempore ſterilitatis; & quocumque tempore triticum aſportetur, cedit in Reipublicæ bonum, cum ex maiori illius abundantia pretium ſit imminuendum. Ita Palao *de iuſt. d quint. punct. 9. numer. 3.* Salas *dub. 16. num. 2.*

Cum his ſentiēs addiderim, poſſe tēpore abū- 115 *Cum his ſentiens, id robro.* dantię adduci, vendendum tamen ſterilitatis tēpore. Idem poteſt eſſe triticum illud longe melius, magiſque repurgatum, ob cuius cauſam emptores non ſolum pretium à lege conſtitutū, ſed iura itineris libenter ſoluant. Certè ſi dum abundant grana ſoluit, documentum dat, ſibi commodius eſſe, illud frumentum carius, quam aliud viliori pretio comparare.

---

### DVBIVM VII.

*An peccet lethaliter Clericus, aut diues, qui frumentum in farina aut pane cocto pretio à lege Regia præſcripto vendiderit?*

LEx Regia lata Matriti menſe Septemb. an- 116 *Legem Regiā præmitto.* ni 1568. & alia 1571. & alia 1591. (referuntur *leg. 4. 5. & 7. tit. 25. lib. 5. nouæ collect.*) ſic ſtatuit. *Ninguna perſona de las que no ſon panaderos, ni acoſtumbran à maſar, y vender pan cocido, ni ſon de calidad, que ayan de tener eſto por trato, y officio: no puedan por ſi, ni por medio de las dichas panaderas, ni otras perſonas, ni mediante ningun trato, ni pacto, ni partido, ni otra cautela, ni modo, vender el dicho pan cocido, ni vſar de ſemejante trato, y grangeria, ſo las penas &c.* Circa cuius tenorem quæſierim, an peccato mortali aſtringantur Clerici, & diuites ſi triticum conuerſum in panem vendiderint.

Licet lex hæc ſæculares communiter ſub 117 *Non obligat ſub mortali Clericos, & diuites.* graui piaculo obliget (vt ſuppono) hæc peccati grauis obligatio non procedit in Clericis, diuitibus, aliiſque viris nobilibus, qui ſuis expenſis, ac periculo triticum darent panificis in panem conuertendum, & venden-



E. SCOBAR
Theol: Mor.
Tom: V. VI. VII.
E. IV
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dum ſoluto panificorum labore, modo illud triticum vendatur pretio currenti, & à Magiſtratibus deſignato. Quia in præfatis legibus non videtur prohibitum vendere per ſe vel per interpoſitas perſonas ſuum triticum, vel farinam in pane cocto, ſed ne hac via taxa excedatur. Colligitur ex illis verbis. *Otro ſi tendreis muy gran cuenta y cuidado, & aueriguar, y ſaber, ſi algunas perſonas, que no ſon panaderas, ni delaſque acoſtumbran à tener eſte trato, ni ſon de tal calidad, que ayan de entender en vſar de ſemejante grangeria, traten por ſi, o por medio de otras perſonas, vender ſu trigo, o harina por eſtos medios de pan cocido excediendo, el precio de la pragmatica, y para la defraudar.* En quomodo ſolum in eos, qui pretium excedunt, & animo fraudandi legem, panes coquunt vendendos lex inuehit. Præterquam quod hæc lex non ipſos, ſed magiſtratus adſtringit, ac proinde ipſi non obligantur, niſi ad pœnam ſuſtinendam. Sic Mexia *ad hanc leg. concluſ. 6. numero* 31. *pag.* 138. Emanu. *cap.* 79. *numero* 16. Vega *verb. Trigo, caſu quinto.*

118 *Obligat planè.* Hæc grauius obligatio procedit in Clericis, ac diuitibus. Quia lex omnibus alijs, qui panifici non ſunt, nec munus panificandi decet, prohibet, ne per ſe, vel per interpoſitas perſonas ſub hoc colore taxam excedant. Ergo ſi de facto panes coctos vendunt vltra taxam, quæ ipſi tritico, vel farinæ eſt impoſita, huic legi aduerſantur, & legem defraudare cenſentur. Nam ſi de exceſſu taxæ pani cocto à Magiſtratibus deſignatæ lex loqueretur, nihil ſpeciale diuitibus, & viris nobilibus hæc lex prohiberet, nam panifici etiam prohiberentur, ne taxam à Magiſtratibus præſcriptam excederent. Ita ferè omnes Doctores teſte Palao *de iuſtit. diſputatione quinta puncto 9. numero tertio.*

119 *Hoc teneo & confirmo.* Hoc teneo, & confirmo. Quia agricolis *leg. 7. titul. 25. libro quinto nouæ Collect.* conceditur, vt triticum, quod colligunt, quodque illis ſupereſt ex ſuę familiæ ſuſtentatione, poſſint in panem coctum conuerſum vendere, ex facultate tamen Prætoris illius populi. Ergo ſignum eſt, omnibus alijs hunc modum vendendi triticum, typam, & auenam eſſe prohibitum. Neque item poſſunt ij cum panificis contractum ſocietatis inire, & lucrum ex pane cocto proueniens inter ipſos diuidatur, quia eſt lucrum ex contractu prohibito.

## DVBIVM VIII.

*An emptio tritici, vt creditoribus des ſolutum ſit legibus non reuendendi prohibita?*

120 *Legẽ reuẽdendi triticum prohibentem præmitto.* Extat lex Regia lata anno 1530. & 1539. & 1548. quæ habetur *in noua recopil. leg. 19. titul. 11. lib.* 5. Ibi omnibus cuiuſcumque conditionis, ac qualitatis ſint, prohibetur, ne triticum, hordeum typa &c. emant, vt reuendant ſub pœna amittendi triticum, & pro prima vice delinquens ſex menſium exilio damnatur. Secunda per annum integrum. Tertia per tres annos, eademque pœna ibi extenditur ad conductores redditaum, & decimarum, quę tamen extenſio ſublata eſt *leg. 4. tit. 25. libro 5. compilat.* Actio itaque quæ his legibus prohibetur eſt emptio tritici, hordei, auenæ &c, eo fine facta, vt reuendatur. Quęſierim autem, an emptio tritici, vt creditoribus des in ſolutum ſit his legibus non reuendendi prohibita?

Prohibita non eſt. Quia hæc lex eſt correctoria, & pœnalis, ac proinde nõ debet extendi ad caſum ſimilem etiam ex rationis identitate. Sic Gloſ. *ad Clement. Vt hi qui, v. In eiuſdem, de ætate, & qualitate, & Authentic. Quas actiones, & ibi* Doctores *Codic. de ſacroſan. Eccleſ.* Barthol. Iaſon. & alij *l ſi conſtante, ff. ſoluto matrimonio.* 121 *Prohibita non eſt.*

Eſt quidem prohibita. Quia ratio prohibendi emptionem ad reuendendum, procedit in datione in ſolutum, quippe ratio prohibitionis eſt, vt conſtat ex principio huius legis, ne hac emptione panis illius caritas, quæ pauperibus eſt nociua, inducatur, quæ ratio æque procedit, ſiue ad reuendendum, ſiue ad dandum in ſolutum ematur. Quando autem eadem eſt ratio, diſpoſitio legis ad caſum ſimilem, & ſublata verborum forma comprehenſum extendi debet Panormit. *ad cap. vltim. numero* 10. *&* 11. *de reſcript.* Robius de Curte *tr. de conſuetud. numero* 346. Ripa *leg. ſi conſtante in princip. n. 66. ff. ſolut. matrimonio* ità Caſtro Palao *de iuſt. d. 5. p. 11 n. 7.* & alij citans Matienz. Azeued. & Baldum. 122 *Prohibita eſt.*

Cum his ſentio addens id procedere etiam ſi authoritate Iudicis datio in ſolutum facienda eſſet, ſi eo fine, vt huic dationi ſatisfaceres, triticum emiſſes, quin eo ip ſo emis, vt vendas, emis namque triticum, vt pro pecunia debita creditori tribuas, Notanter dixi, *ſi emas, vt des in ſolutũ,* & à fortiori vt expreſſe reuẽdas, nam ad huius legis transgreſſionem non eſt opus, vt de facto reuendas, ſatis eſt, vt emas eo fine, vt conſtat ex illis verbis: *Pierda todo el pan, que aſi comprare.* Non dicit, *Lo que aſi comprare, y reuendiere,* ſed ſolum dicit, *Lo que aſi comprare.* Vt intelligas, emptione tantum compleri actionem hac lege prohibitam, Aduertit Matienzo *ad l. 19. gloſ. ſecund. num.* 3. & Azeuedo *ibi, numero* 7. 123 *Idem ſentiens, nonnihil adiicio.*

## DVBIVM IX.

*An qui pluries emit triticum ad reuendendum, nunquam tamen punitus fuit, debeat puniri pœna, quæ tertio ementi eſt impoſita?*

Recolo emptori tritici ad reuendendum pro prima vice ſtatui pœnã exilij per ſex menſes pro ſecunda vice, per annum: pro tertia per tres annos. Dubitaris autem, ſi pluries quis emit ad reuendendum, nunquam tamen punitus fuit, an ſit puniendus, ac ſi ſemel tantum emerit, vel debeat puniri pœna quæ 124 *Nonnulla recolo.*

quæ tertio ementi eſt impoſita.

125 *Debet puniri pœna quæ tertio ementi eſt impoſita.* Pœna, quę tertio ementi impoſita eſt debet puniri. Quia lex dicit, *Y por la tercera vez ſea condenado en deſtrierro por tres años.* At ille tertia vice emit: Ergò in illam incidit pœnam tertiò ementi impoſitam. Neque æquum eſt, vt pluries repetitum delictum ea pœna vindicetur, quæ primò ementi ſtatuitur, cum ex reiteratione & delicta grauanẽtur, & grauioribus pœnis ſubiiciantur. Sic Anton. Gomez *tom. 3. variar. capite quinto numer. 9.* aſſerens, ſtante ſtatuto, quod quis pro tribus furtis furca ſuſpendatur, poſſe furca ſuſpendi, ſi tria furta commiſerit, tametſi pro prioribusfurtis punitus non fuerit.

126 *Non debet ea pœna puniri, ſed pœna impoſita primo emẽti.* Non debet puniri pœna, quæ tertio ementi impoſita eſt, ſed ea pœna affici, quæ contra ſemel ementem eſt lata, quia lex pœnã exilij imponens Dardanariis ſupponit, de crimine denuntiatos eſſe, & delicta denunciata punit, & punitis pœnam aggrauat. Inquit enim: *Pro prima vice exulet à loco habitationis per ſex menſes:* hoc eſt, pro prima vice, qua fuerit de crimine denunciatus, per ſex menſes exulet: deinde addit pro ſecunda vice, id eſt, pro qua ſecundò fuerit denunciatus exulet per annum. Ita Matienzo *leg. 19. gloſ. 3. num. 3.* Azeuedo *num.* 8. quos Theologi communiter ſequuntur.

127 *Cum his opinor.* Primam ſententiam probabilem ſatis ſed ſecundam probabiliorem eſſe reor, nam ſi in harum pœnarum aggrauatione non ſpectaret lex delictum denunciatum, ſed ſolum ipſum delictum per ſe ſumptum, aliis verbis deberet diſponere; nempe diceret: pro prima emptione emptor damnetur exilio ſex menſium; pro duplici per integrum annum: pro triplici per tres annos.

## DVBIVM X.

*An res vendi poſſint carius, quam per ſe valent ratione ſolutionis creditæ?*

128 *Poſſunt quidem.* Poſſunt quidem. Quia *cap. In ciuitate de vſur.* aromata vendita ad creditum pluris venduntur, quam ſi numerata pecunia venderentur. Sic Sà *v. venditio, numero* 7. Caietan. 2. 2. *q.* 78. *articulo ſecund. ad* 7. Ergò id ſine vſura geri poteſt.

Minime poſſunt. Quia eſſet manifeſta vſura, ſiquidem exceſſus ille acciperetur non pro re vendita, ſed pro ſolutione dilata & credita, quę eſt quoddam implicitum mutuum. Et habetur *c. In ciuitate, c. conſuluit, de vſur.* Ita Ioan. de Medin. *de reſtit quæſt.* 38 *capite quint.* Couar. 2. *variar. cap. tertio numer.* 6. Sotus *lib. 6. de iuſt. q. 4. articulo ſecund.* Toletus *l. de ſept. peccat. cap.* 58. Ludouicus Lopez *part. prim. Inſtr. cap.* 216. Salas *de empt dub.* 41. Molina *d.* 355. Leſſius *lib. 2. c. 21. dub.* 6. Rebellus *parte ſecund. de iuſt. lib. 9. q.* 11.

129 *Cum his ſẽtio.* Cum his ſentio. Nec refert, quod tempore, quo tibi ſolutio facienda ſit, res pluris ſit valitura; nam illud incrementum non tibi, ſed emptori cedit; in ipſum enim res, & illius dominium à tempore contractus translatum eſt. *Caput* autem *In ciuitate* intelligendum eſt, (vti explicat ibi Gloſſa) quia vendens illa ſeruare debebat, & ratione lucri ceſsantis ſperati pluris, quam eo tempore erant valitura, vendi potuerunt.

## DVBIVM XI.

*An merces pretioſæ in magna quantitate ad nundinas, ſiue ad portum adiectæ poſſint credito carius vendi, quàm ſit ſummum pretium illarum, ſi præſenti numerata pecunia venderentur?*

Non poſſunt. Quia inde inferretur, ob ſolam dilationem pecuniæ pretium mercium augeri, quod eſt vſura, ſiquidem augetur ob virtuale mutuum. Et quia duplex pretium conſtitueretur aliud pro venditione ad creditum, aliud pro venditione ad pecuniam numeratam, quod nullatenus videtur admittendum, ex *cap. in ciuitate*, ex *c. conſuluit*, ex *cap. Nauiganti, de vſur.* ſic Nauar. *ſumm. cap. 23. numer. 82. & conſil. 32. de vſur.* Ioan. Medin. *de reſtit. quæſt. 38. capit. 6.* Gutierrez *in qq. canon. c. 39. numer.* 41. Garcia *libro prim. de contr. cap.* 24. Angles *q. de vſura ratione emptionis, diffic.* 1. Palatios *lib. 4. cap.* 13. Valent. 2. 2. *d. 5. q. 20. pun. ſecundo paragrapho* 8. *concl.* 6. 130 *Non poſſũt.*

131 *Poſſunt planè.* Poſſunt planè, Qua cum hæ merces ob earum æſtimationem ſeu copiam non ſoleant numerata pecunia vendi, ſed ad creditum: earum pretium iuſtum cenſendum eſt, quod cõmuni hominum æſtimatione in eo modo vendendi iuſtum cenſetur, tametſi minus ſit eo quod daretur, ſi pecunia venderetur annumerata. Ita Couarruuias *libro ſecund. variar. capite tertio numer. ſext.* Sotus *lib. ſext. de iuſtit. qu. 4. articulo prim. ad* 4. Salon. 2. 2. *qu.* 77. *contr.* 24. Bañes *a. 4. dub.* 9. Lud. Lop. *p. 2. Inſtr. c.* 64. Leſ. *l. 2. c. 21. dub. 6 d.* 5. Sa *v. emptio, n. 4. &* 7. Salas *de empt. dub. dub.* 42. Tolet. *l. de ſept. peccat. c.* 50. Molina *tr. 2. d.* 357. Rebellus *de iuſt. p. 2. lib. 9. q.* 14. & alij.

132 *Hanc eligo ſententiam.* Hanc eligo ſententiam. Quia cum pretia rerum lege Principis vel hominum æſtimatione conſtituantur, & his mercibus ad creditum venditis diuerſum pretium iuſtum conſtituatur, quam ad numeratum, conſequens eſt, vt illud iuſtum eſſe ſit cenſendum. Cauſa autem, ob quam diuerſum pretium conſtituitur, non eſt pecuniæ dilatio, ſed illius frequens periculum; labor, ac moleſtia in ea recuperanda, ac lucrum ceſſans, quod plerumque venditoribus contingit. Et licet hæc in vna; vel altera venditione ceſſent, non ob inde pretium, quod frequenter contingentia ſpectat, mutuatur. Sà *v. venditio, numero ſeptim.* & Salas *dub.* 42. annotantibus.

## DVBIVM XII.

*An poſſit anticipata ſolutione minoris emi centum debita Antonio poſt annum ſoluenda præcisè, ſine alio incommodo?*

133 *Quæſtionis ſtatus.*

CErtum eſt, te poſſe emere illa centum nonaginta dando v. gr. anticipata ſolutione, ſi debitum non ſit liquidum, vel ſit recuperatu difficile, vel inde aliquod tibi damnũ eueniat, aut lucrum ceſſet. Quæſtio igitur eſt, an, cum hæc omnia ceſſant, licite minoris emi poſſit.

134 *Poteſt plane.*

Poteſt quis minoris emere debitum illud, quia hæc debita dũ proponuntur venalia inſtar mercis, minoris æſtimantur ex communi hominum acceptatione. Et quia frequenter quæ liquida videbantur, ambigua redduntur, & quæ recuperatu facilia, difficilia ſuccedunt. Et quia præſentis pecuniæ ſolutio venditoribus commoda eſt, emptoribus incommoda, ob quas cauſas pretium communi hominum æſtimatione diminui iuſtè poteſt, etiãſi in vno, vel altero caſu hæ difficultates, & incommoda ceſſent. Sic Abbas *ad c. In ciuitate, n. 7. de vſur.* Caietan. *v. vſura ad fin.* Armil. *n. 33. &* 50. Fumus *n.* 51. Roſel. *v. vſura,* 2. §. 15. Sà *v. Debitum, n.* 21. Nauar. *ſum, c. 17. n.* 232. Toletus *l. 5. c.* 31

135 *Non poteſt.*

Non poteſt quis emere hoc debitum minoris anticipata ſolutione, ſecluſo morali periculo difficilis ſolutionis, aliiſque inconuenientibus extrinſecis. Quia ius ad centum futura ſublata omni difficultate ea habendi, eiuſdem ęſtimationis eſt, ac centum de præſenti. Nam ſi minus valet ius ad centum futura, quam centum præſentia, potes centum à te in mutuum petenti reſpondere, te nolle illi ea mutuare, ſed velle emere obligationem ab ipſo, vt tibi centum ſoluat, quam obligationem nonaginta de præſenti emes: quod certe eſſet, viam, vſuris latam aperire. Ita D. Tho. *opuſc. 67. ad lector. Florentin.* Antonin. *p. 2. tit. 1. c. 8. §. 3. &* 4. Ioan. Medi. Sylueſt. Bannes, Sotus, Arag. Valent. Graf. Mercad. quos refert, ac ſequitur palao *de iuſt d. 5. p. 13. n. 6.* Laym. *l. 3. ſect. 5. tr. 4. c.* 17 §. 5. *n.* 32. Salas *de empt. dub.* 39. Leſ. *l. 2. c. 21. dub.* 8. *n.* 70. & Molina contrariam ſententiam iudicans improbabilem *tr. 2. d.* 361.

136 *Hanc communem ſequor ſententiam.*

Hanc communem ſequor ſententiam, abnegans quidem, ex communi hominum iudicio hæc chirographa, & obligationes ſoluendi centum futura, minus quam centum æſtimari, ſecluſo periculo, & incommodo ſolutionis, lucrove ceſſante, aut damno emergente ideóque pro qualitate huius difficultatis, incommodi pretium imminuitur. Conuincitur hoc authoritate Bartoli *ad l. Per diuerſas. C. mandati.* & Baldi *ad l. 2. C. ne lite pendente,* aſſerentium, actionem ad rem tantum valere quantum valet res ad quam dirigitur, deductis laboribus, & expenſis.

## DVBIVM XIII.

*Cum ex cauſa extrinſeca, nempe ex decreto Principis, ex abundantia, vel ſterilitate repente superuentura valor mercium augendus, vel imminuendus eſt: qui hoc ſciat priuatim, poteritne vendere, vel emere pretio currenti?*

137 *Minime poteſt.*

MInimè poteſt. Quia emptor merciũ, quarum valor ſtatim diminuendus eſt, inuoluntariè, ac per errorem cenſetur emere; nam ſi diminutionis futuræ conſcius eſſet, nullatenus emptionem celebraret. Sic Ioan. Medin. *de reſt. quæſtione* 35. Conrad. *de contract. quæſtion.* 62. 63. *&* 76. Manu. *part. ſecund. ſumm. capite* 81. *numero decim.* Gloſ. *ad l. contra legem, ff. de legib.* Bartol. *l. Quæro ff. de actionibus empt.* & alij relati à Couarruuia *reg. peccatum, p. 2. 3. §. 4. num. 6.*

138 *Poteſt equidem.*

Poteſt equidem. Quia illa cenſenda eſt iuſta emptio, aut venditio quæ valori rei venditæ, aut emptæ adæquatur, cum res nihil amplius valeat, quam quod lege iuſta, & communi hominum æſtimatione valere iudicatur. Ergò &c. Neque refert, hãc communem hominum æſtimationem niti ignorantiæ euentus futuri; quia valor naturalis, ſeu vulgaris rei ex hominum æſtimatione quocumque modo concepta prouenit, ſicut valor legitimus ex ipſa lege, dum lex perſeuerat. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſtio. 77. articulo octauo. ad quart.* Caietan. *ibi* Bannes *dub. quart.* Aragon. *dub. ſecund.* Valentin. *d. 5. q. 20. pun.* 4. Toletus *de ſept. peccat. cap. 50. numer.* 3. Molina *d.* 354. Leſſius *lib. ſecund. cap. 21. dubio quinto* Salas alios referens, *de empti. dub.* 32.

139 *Probabilius hoc mihi.*

Probabiliorem hanc ſententiam iudico, haud abnegans primæ magnam ineſſe probabilitatem. Profecto noſtræ concluſioni robur ex *cap.* 41. Geneſeos confirmatur, vbi Ioſeph præſcius futuræ ſterilitatis, ob quam frumenti valor augendus erat, pretio currenti ingentem illius copiam, emit, & in ſubſidium famis aduenturæ recluſit, conceſſerim autem primæ ſententiæ Auctoribus, contractum illum eſſe aliquo modo inuoluntarium: ſed quia ſimpliciter voluntarius eſt, & non procedit ex errore aliquo ad ſubſtãtiam contractus pertinente validus proculdubio eſt.

***

DVBIVM

## DVBIVM XIV.

*An poſſis pecuniam, quam priuatim ſcis breui tempore imminuendam, vel deponendam, mutuari cum obligatione eandem quantitatem reddendi?*

140 *Non potes.* NOn potes. Quia qui ſcit mox deponendam eſſe pecuniam, nihil dat mutuatario, & qui agnoſcit illico imminuendam, minus dat quam reddi ſibi poſtulat. Sic Syluester. *v. Vſura 1.qu.15.* Gabr *in 4.diſt.15.quæſtione 11. articul.3.*

141 *Potes omnino.* Poteſt omnino. Quia nulla iniuria committitur, cum nihil aliud petatur, quam quod de preſenti conceditur. Ita Salas *de empt. dubit. 32. in fine.* Palao *de iuſt. d. 5. punct. 15. numero quinto.*

141 *Hoc mihi verius.* Hoc verius eſſe reor, ſi probabiliter mutuans ſciat eam pecuniam à mutuatario eſſe abſumendam. Nam ſi aperte cognoſcat eam pecuniam mutuo petere, vt neceſſitati poſt imminutionem pecuniæ, aut omnimodam depoſitionem ſuccurrat, certe non audeo à prima ſententia recedere, & Magiſtrorum meorum Ioannis de Salas, & Ferdinandi de Caſtro venia, ſecundæ omnino nuncium remitto.

## DVBIVM XV.

*Sciens ex Conſiliarij Regij (v. gr.) monitu tritici valorem cito lege promulganda imminuendum, poteſtne licitè id pretio currenti vendere, vel emere?*

141 *Minime id poteſt.* MInime id poteſt, ſi ea venditio procedat ex notitia: quam à Rege vel Regio Conſiliario ſecreto accepit, pretium tritici ex lege proxime ſuperuentura imminuendum fore. Quia in aliorum detrimentum notitia legis vtitur, quæ omnibus debet eſſe communis. Sic Molina *diſputatione 354.* Rebellus *de iuſtit. parte ſecund. l.9.quæſtion.6.* Pinel. *ad l. ſecund. Codic. de reſcind.vendit. part. 3. capite ſecund. numero 22. & 23.* Leſſius autem *libro ſecund. cap.21.dub.5.* & Salas *de empt. dub. 32.* Idem ſentiunt in Magiſtratu, aut alio qui malitioſe vſus fuerit ſcientia legis promulgandæ in aliorum detrimentum, quia Magiſtratus tenetur ex officio omnibus ciuibus commoda prouidere, neque vllum pro alio grauare.

143 *Poteſt plane.* Poteſt plane ſpectato iuris rigore quilibet ea ſcientia vti ad ſuas merces diſtrahendas? Quia eſto ea diſtractio cedat in emptorum detrimentum, ideſt per accidens ex lege ſuperuentura pretium mercium diminuente, non ex natura contractus, neque venditor illud detrimentum intendit. Sed procurat ſibi conſulere, & ſui detrimentum vitare. Ita Palao *de iuſtit. diſtrib. d. quint. punct. 15. num. 6.* Propendet Leſ. *citat.*

Probabilem ſatis hanc ſententiam eſſe iudico, quia licet vel ipſi Magiſtratus obligentur omnium ciuium commoda æqualiter ſpectare, id intelligendum eſt iuxta leges ac conſuetudines præſcriptas, & in populo vigentes, ac proinde diſtrahens ſuas merces ex ſcientia priuata legis futuræ nullam iniuriam emptoribus irrogat. Attamen ego in primam ſententiam magis inclinor. 144 *In primam ſententiam inclinor.*

## DVBIVM XVI.

*An cenſeatur deceptor iniuſtus qui interrogatus an pretium mercis imminuendum ſit, obſurdeſcit, vel reſpondet, ſe neſcire, vel aſſerit, diminuendum non eſſe.*

DEceptor non cenſetur iniuſtus. Quia illa deceptio non inducit ad rem iniuſtam, ſed ad iuſtum contractum, & ad proprium damnum vitandum. Quemadmodum ſi pauper oſtio diuitis aſſiſtens alteri pauperi accedenti diceret, eleemoſynam iam expenſam eſſe, vel diuitem abeſſe à domo: non tamen ob mendacium hoc decipiens ille cenſetur ad reſtitutionem obligari. Adde, ſic teſtanti fides adhiberi non debere, cum præſumi poſſit ob proprium commodum mentiturus. Sic Bannes 2. 2. *quæſt. 77. articulo 3. dubio 4.* Arag. *dub. ſecund.* Salon. *controu. vltim.* probabile reputat Leſſius *lib. ſecund. capit. 21. dubio quinto num. 43.* 145 *Non cenſetur iniuſtus deceptor.*

Deceptor iniuſtus proculdubio cenſetur. Quia manifeſtum eſt hac deceptione inducialium ad contrahendum, alias non contracturum: & conſequenter ad ſuſtinendum damnum ex eo contractu proueniens. At communis, & fere omnibus ſententia eſt, ſi fraude, & dolo bonum proximi quis impediat, vel imminuat, peccare lethaliter contra iuſtitiam cum reſtituendi obligatione. Ergo qui inducit mendacij aſſertione emptorem ad contrahendum, iniuſtitiam committit, & reſtituendi obligatione adſtringitur. Ita Caſtro Palao *de iuſtit. commut. d. 5. pun. 25. num. 9.* citans Molinam, Rebellum, Leſſium, & Salas. 146 *Iniuſtus deceptor cenſetur.*

Cum his opinor, excipiens tamen, niſi illi ſic aſſerenti nullam fidem emptor prudenter adhibeat: quod non eſt præſumendum, ſi ſeriò ille aſſerit, pretium imminuendum non fore. Verum ex eo, quod obſurdeſcat, & reſponſum retineat, vel verbis æquiuocis vtatur, vt veritatem celet, nullam obligationem inde reſtituendi contrahere eum exiſtimo; quia non tenetur veritatem manifeſtare: imò ius habet eam celandi, vt ſuis bonis conſulat: neque ea diſſimulatio eſt poſitiua deceptio, aut in contractum inductio, ſed veritatis occultatio, ac contractus permiſſio. Vti Salas aſſeruit *dub. 33.* 147 *Cum his opinor quādam adhibens reſtitutionem.*

DVBIVM

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## DVBIVM XVII.

*An vt emptor dicatur læſus vltra dimidium iuſti pretij debeat, rem valentem centum, emere pluſquam ducentis (verbi gratia) regalibus.*

148 *Status quæſtionis.*

SÆpè contingit, tàm venditorem, quam emptorem decipi; illum vendendo rem minori pretio, quam valet; hunc emendo maiori. Porrò ex parte venditoris ferè omnes Doctores conueniunt, læſionem vltrà dimidium pretij contingere, ſi rem valentem centum vendiderit minori pretio, quam quinquaginta; quia in ea venditione medium iuſti pretij non attingit. *leg. ſecund. C. de reſcind. vendit.* ſiquidem nec dimidia pars veri pretij eſt ſoluta. In emptore autem Doctores non conueniunt. Vnde quæſierim, an vt emptor dicatur læſus vltrà dimidium iuſti pretij, debeat rem valentem centum emere pluſquam ducentis?

149 *Debet rem valentem centum emere pluſquam ducentis.*

Debet quidem. Quia læſio vltrà dimidium ex parte venditoris eſt, cum non accipit pretij dimidium rei venditæ, Ergò læſio vltra dimidium ex parte emptoris eſt, cum non accepit dimidium pretij numerati, hoc eſt, cum non accepit rem, cuius valor attingat pretij numerati dimidium. Sic Panormit. *ad capit. Cum dilecti, numer. ſecund. de empti. & vend.* tametſi *cap. Cum cauſam, eod. tit.* contrarium dicat, Pinel. alios referens *ad leg. ſecund. Cod. de reſcind. vend. part. prim. cap. 2. numer. quinto &* 6. Conan. *libro. 7. capit.* 9. Forcatol. *dialog.* 100. Duaren. *leg. ſi quis cum aliter. ff. de verb. oblig.* Fachin. *l. 2. controu. c. 16.* Cujat. *l. 16. obſeru. c. 18.*

150 *Non debet, ſed ſufficit, ſi rem valentem centum pluſquam 150. emat.*

Vt emptor dicatur læſus vltrà dimidium iuſti pretij, non debet rem valentem centum pluſquam ducentis emere, ſed ſufficit, ſi rem valentem centum, pluſquam 150. emat. Quia inter venditorem & emptorem ſeruanda eſt æqualitas. At venditor læſus eſt vltra dimidium iuſti pretij, cum dimidium pretij rei venditæ non accepit; Ergo emptor læſus erit vltrà dimidium cum pluſquam dimidium pretij eiuſdem rei dedit. Alias ſi oportet rem valentem emere ducentis, non eſſet lęſio vltra dimidium, ſed in duplo contra leges, quæ læſionem ex parte pretij conſiderant. Ita Molina *tract. ſecund. d.* 349. Pinellus *parte ſecunda de iuſt libr. 9. quæſt. 3. ſect. 1.* Leſſius *lib. ſecund. capie. 21. dub. 4.* Salas *de empt. dub. 26.* Anton. Gomez, Greg. Lopez, Padil. Couar. Azeued. Gutier. Soto, Salon Lopez, quos refert, & ſequitur Palao *de iuſt. diſtrib. d. 5. pun. 17. §. 1. n. 3.*

151 *Idem affirmo.*

Idem affirmo, abnegans quidem, læſionem conſiderandam eſſe ex eo, quod emptor accepit, ſed ex pretio, quod dedit, Vnde ſi dedit dimidium pluſquam dare debuit, læſus fuit vltrà dimidium; vt venditor ſi minus dimidij pretij accipere debuit. Alias inter venditorem & emptorem non ſeruaretur æqualitas, quod non eſt admittendum, cum ſint correlatiua, & diſpoſitum in vno, in alio cenſeri debet eſſe diſpoſitum.

## DVBIVM XVIII.

*Lædens emendò, aut vendendo intra dimidium an peccet, & teneatur ad reſtitutionem?*

NEc peccat; nec ad reſtitutionem tenetur. Quia *leg. In cauſa, §. Idem Pomponius, ff. de minoribus. & leg. Item ſi pretio, §. vlt. ff. locati.* aſſeritur licitum eſſe naturaliter contrahentibus; ſe inuicem in pretio decipere, ac non eſt licitum vltra dimidium, ſed ea deceptio reparatur *lege ſecunda Codic. de reſc. vendit.* Ergò admittenda eſt deceptio intra dimidium. Et quia deceptio intra dimidium, cum parum diſtet à iuſto, remiſſa cenſetur à venditore, vel emptore. Sic Doctores, quorum meminere Matienzo, & Salon citandi. Sà *verſ. venditio, numer.* 20. ait: *Quod parum eſt, cenſetur emptor, & venditor inuicem condonare.* 152 *Nec peccat nec debet reſtituere.*

Peccat, & tenetur ad reſtitutionem. Quia *leg. Iure natura, ff. de reg. iur* dicitur: *Iure natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem.* Ratio eſt manifeſta. Nam eſto deceptio ſi intra dimidium iuſti pretij, legi tamen naturali aduerſatur, cum nullus vellet ſibi ipſi illud damnum inferri, & conſequenter lex naturalis obligat ad illius reparationem: At nulla lege poſitiua reperitur hæc obligatio diſſoluta, neque id erat expediens. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſtio. 77. articulo prim.* Caiet. Bannes, Aragon, *ibi.* Salon. *contr.* 17. Nauar. *ſumma capit. 9. notab. 9. corollar.* 13. Molin. *d.* 350. Leſſius *libro ſecund. cap. 21. dub. 4.* Salas *de empt. dub. 26.* Couar. *reg. Poſſeſſor, p. ſecund. §. 7. & lib. ſecund. variar. cap. 4. num.* 11. & alij 153 *Peccat & reſtituere debet.*

Hæc ſententia certa, omninóque amplectenda eſt. Cuius veritati non obſtant leges illę citatæ. Licet quidem naturaliter contrahentibus ſe circumuenire, id eſt ſecundum ius gentium, quod naturale ſecundario appellatur, licitum eſt, id eſt, permiſſum abſque punitione, ſe circumuenire. Sæpè enim *licere* pro *permittere* ſumitur, iuxta *leg. Non omne, ff. de reg. iur. Non omne quod licet, honeſtum eſt*, id eſt, non omne, quod permittitur, eſt honeſtum. Illud vero, quod ex meo Emanuële de Sà adducitur ad ſummum ſuſtineri poſſe concedo, cum minima eſt læſio & aliqua donationis ſigna adſunt; ſecus cum læſio eſt grauis, licet ſit intra dimidium. 154 *Hoc certũ eſſe reor.*

***

DVBIVM

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## DVBIVM XIX.

*Quoad forum Eccleſiaſticum lædens intra dimidium teneturne, læſionem reparare?*

155 *Tenetur & actio læſo datur.*

TEnetur, & actio læſo datur. Quia *cap.*1. §. *ſed diuerſum, de alienat. fundi* dicitur, Eccleſiam non pati vltra iuſtitiam aliquid fieri. Ratio eſt, quia Iudex Eccleſiaſticus cogere poteſt quemlibet etiam laicum ſuis Cenſuris, vt à peccato lethali deſiſtat. Cum igitur lædens grauiter et â intra dimidium peccatum lethale commiſerit, & obligationem reſtituendi habeat, poterit optime. Sic Gloſſ. *ad cap. Ea enim* §. *hoc ius* 10. *quæſt. ſecund. v. & plus* Padil. *leg. ſecunda num.* 55. *&* 56. *Codic. de reſc. vendit.* Nauar. *cap.* 9. *de iudic notab.* 6. *coroll.* 13. Couar. *l.* 2. *var. c.* 4. *n.* 11. & alij plures res citati à Tiraquello *q.* 1. *connub. n.* 11.

156 *Nec tenetur nec læſo datur actio directa.*

Nec tenetur, nec læſo actio datur. Quia *cap. cum. dilecti. cap. cum cauſa, de empt. & vend.* ſolùm conceditur actio, cum eſt læſio vltra dimidium neque vllus eſt textus actionem directam intra dimidium concedens. Ita Pinellus *ad leg. ſecundã Codice de reſcind. vendit.* Matienzo *ad leg. prim. titul. vndecim. lib. quint. gloſ.* 1. *&* 8. *num.* 11 Fachin *lib. ſecund. controu. cap.* 25. Salon 2. 2. *q.* 77. *articulo prim. contr.* 17. Molina *d.* 349 Rebellus *parte ſecunda de iuſtitia lib.* 9. *quæſt.* 3. *ſectio* 2. Palao *de iuſt. commut. d.* 5. *punct.* 2. § 2. *num.* 7. Salas *de empt. dub.* 27. *nu.* 3 *&* 4.

157 *Cum his opinor.*

Cum his ſentiens, aduertenter illam particulam *Actionem directam* appoſui; nam indirectam & per viam denunciationis non eſt dubium læſo ſicut & cuilibet alteri competere. Poteſt enim denunciare Iudici Eccleſiaſtico, vt lædens obligationi, quam habet in conſcientia ſatisfaciat.

## DVBIVM XX.

*An ex contractu per procuratorem initio concedatur actio, vt contractus in quo quis læſus fuit intrà dimidium reſcindatur vel inæqualitas reparetur?*

158 *Conceditur actio.*

SI læſio intra dimidium contingat in contractu per procuratorem celebrato, conceditur ratio, vt contractus ille reſcindatur, vel inæqualitas repararetur. Quia *leg. Vnde ſi Nerua, ff. pro ſocio*, dicitur: *Iudicium arbitri, qui in ſexta parte lædit, reſcinditur.* Ergo etiam reſcindi debet contractus: in quo procurator lædit. Sic Paulus de Caſtro *ad l. ſecund. Codic. de reſcind. vendit. numer.* 5. Bartol. & ſi dubius, *ad l. ſi ſocietatem*, §. *arbitrium num.* 25. *ff. pro ſocio.* Anton. Butrius *ad c. Quintauallis, de iureiur. & ibi* Panormit. *num.* 35. Barbat. *ad cap. cum cauſam, numer.* 11. *de empt. & vend.* Alexand. *ad l. ſi quis arbitratu, numer* 20. *ff. de verbor. obligat.*

Ob læſionem intra dimidium ex contractu per procuratorem non datur actio. Quia nullibi habetur, ob læſionem intra dimidium à procuratore factam contractum reſcindi, Ergo ſeruanda eſt regula generalis *l.* 2. *Cod. de reſcind. vendit.* ob ſolam læſionem infra vel extra dimidium actionem concedens. Præterea id conuincitur ex *l. ſi voluntate. Cod. de reſcind. vend.* vbi filius nomine matris venditionem celebrauit, & tamen in fine illius legis dicitur venditionem non reſcindi, niſi minus dimidia iuſti pretij, quod fuerit tempore venditionis, datum eſſet. Ita Abbas *ad cap. cum cauſa, num.* 5. Anton. Butrius, *num* 25. *de empt. & vendit.* Pinel. *ad l.* 2. *C. de reſcind. vend. part.* 2. *c.* 1. *n.* 15. Padil. *n.* 66. Cag. *n.* 166. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 29. Matien. *ad lib.* 1. *gloſ.* 8. *num.* 13. *titul.* 11. *l.* 5. *compilat.* 159 *Actio non conceditur.*

Longe veriorem hanc ſententiam eſſe indico. Nec obſtare exiſtimo *legem vnde ſi Nerua*, in qua quidem arbitrium illius, qui vt bonus vir eligitur iudicaturus, reſcinditur ob minorem læſionem dimidiæ partis, quia non iudicauit vt bonus vir, ideóque ad arbitrium boni viri iudicium reuertitur. Secus eſt in procuratore qui ſi ignarus, & imprudens conſtituatur, conſtituenti eſt imputandum *leg. cum mandato* §. *vltim. ff. de minoribus.* Præterquam quod conſtituens procuratorem præſcribere ei poteſt modum agendi, & contrahendi, quod tamen in arbitro facere negauit. 160 *Longe veriorem hãc ſententiam eſſe indico.*

## DVBIVM XXI.

*Si læſio intra dimidium in dotis æſtimatione contingat, concedatur actio?*

COnceditur quidem. Quia *leg. Iure ſuccurſum, ff. de iure dotium.* dicitur: *Si in dote danda circumuentus ſit alteruter & maiori annis* 25. *ſuccurrendum eſt, quia bono, & æquo non conueniat, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum.* Et *leg. ſi circumſcripta. Codic. ſoluto matrim.* cauetur; *Si circumſcripta matre veſtra, viliori pretio dotales res æſtimatæ ſunt, quid ſuper huiuſmodi contractum vitio ſtatutum ſit vulgo patet.* & *leg. ſi res æſtimata*, §. 1. *ff. de iure dotium* Sic: *ſi mulier ſe dicat circumuentam, minoris res æſtimaſſe, vt puta ſeruum, ſiquidem in hoc circumuenta eſt, quod ſeruum dedit, non tantum in hoc, quod minoris æſtimauit, in eo acturum, vt ſeruus ſibi reſtituatur.* Et his itaque legibus ſic hæc ſententia ſuadetur: Hæ leges, vt concedant actionem ad inæqualitatem reparandam, non exigunt inæqualitatem eſſe vltra dimidium iuſti pretij; ſed ſolum quod læſio interueniat, & maritus grauatum ſe ſentiat, & rationi conſonum ſit, ne cum alterius damno quis luciretur. 161 *Conceditur planè.*

Spectato iure communi, non conceditur actio ex læſione intra dimedium in rerum dotalium æſtimatione. Quia exceptio communi regula 162 *Non conceditur.*

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. V. VI. VII. E. IV 6

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

gula inducenda non eſt, niſi iure, aut manifeſta ratione comprobetur: at ex prædictis legibus non colligitur manifeſte concedi actionem ex læſione, ac grauamine intra dimidium ſed solùm concedi actionem ex læſione, & grauamine, *cum id bono & æquo conueniat.* quæ verba indifferentia ſunt; vt concedatur actio ex læſione intra dimidium, vel extra, ergo exceptio à diſpoſitione *legis ſecundæ & leg. ſi voluntate, Codic. de reſcind. vendit.* expreſſa in iure non eſt. Maximè cum verbum *conuentio*, & verbum *Circumſcribo* doloſam deceptionem frequentius denotent, *lege prim. verſ. circumſcribendum, ff. de dolo.* Ex alio autem capite non eſt ratio efficax, nam eſtò inter coniuges magis dedeceat deceptio, quam inter alias perſonas ob intimam eorum coniunctionem; ſed ſic magis dedecet, vt inter ipſos lites multiplicentur, vtpote quæ paci, mutuoque amori haud leuiter obſtent Ita Fulgoſi. *ad l. ſecund. num. 2. Codic. de reſc. vendit.* Cagnol. *ibi. num.* 63. Salicet. *ad l. ſi res æſtimata, paragrapho prim ff. de iure dotium.* Rebuf. *de reſc. contr. articulo vnic. gloſ.* 15. *numer.* 13.

163 *Hæc ſententia probabilis quidem eſt, ſed primã eligo.* Profecto inſpecto iure communi probabilis ſatis hæc ſententia eſt *Dixi ſpectato iure communi*, nam attento iure noſtro Regio in *lege* 16. *titulo* 21. *part.* 4. manifeſtum eſt, ob quamlibet grauem læſionem etiam intra dimidium iuſti pretij factam in rerum dotalium æſtimatione actionem concedi. Vt probat Anton. Gomez *leg.* 50. *Tauri, num.* 44. Gegor. Lopez *ad l.* 16. Matienzo *ad leg. primã titulo* 11. *lib. quint. compil. gloſ.* 8. *numero* 21. Attamen primam ſententiam tanquam communem ſuſtinendam eſſe non dubio.

---

## DVBIVM XXII.

### *An ius accreſcendi tranſeat, in emptorem hæreditatis?*

164 *Quæſtionis ſtatus.* ANtonius fuit ſimul cum Petro hæres à Ioanne inſtitutus, vendidit Antonius ſuæ hæreditatis partem, qua venditione facta, Petrus hæreditatem repudiauit, quæritur ergò, an Antonio, an emptori ea pars accreſcat?

165 *Accreſcit emptori.* Accreſcit emptori. Quia ius accreſcendi non ſequitur perſonam hæreditate deſtitutam, ſed hæreditatem habentem; non enim perſonæ, ſed hæreditati adhæret. *lege ſi Titio, ff. de vſufr.* ibi: *Quoniam portio fundi portioni vſusfructus perſonæ ſuccederet.* At hęres nullam hęreditatis portionẽ habet, ſed ſolũmodo nomen vacuũ hęredis; emptor verò hęreditatẽ habet. Ergo emptori, & nõ hęredi ius accreſcẽdi cõpetit. Sic Bar *ad l. re coniuncti, n.* 26 *ff. de legat.* 3. & *ibi* Villalonga *pag.* 31. Cur. iunior *ad leg vni. C. quãdo non petẽtiã partes n.* 12. & *ibi* Sebaſ Tapia *num.* 20. Duaren *l.* 2. *de iure accreſc. c.* 6. & alij.

166 *Emptori non accreſcit.* Ex ſimplici venditione hæreditatis non eſt venditum, nec tranſmiſſum ius accreſcendi in emptorem. Quia ius accreſcendi adeuntes hęreditatem ſequitur, *leg. vni. C. quando non petent. partes.* Et quia iuri accreſcendi locus non eſt, vbi diuerſo iure ſucceditur *leg. ſed cum patrono ff de bonor. poſſeſſ.* At venditor ſuccedit ex voluntate defuncti, emptor ex contractu; Ergo. Ita Petr. de Villaperti relatus à Bart. *ad leg. Re coniuncti, numer.* 26. *ff de legat.* 3. Iaſon *ad l. ſecund. num.* 9. *Cod. de pactis.* Salicet *ad l. vni C. quando non petent. partes, num.* 15. Decius *ibi, in* 2. *lectura. num.* 43. Anton. Gomez *lib. prim. var. cap.* 10. *num.* 44. Ioan. Gutierrez *in repet. l. vni. Codic. quando non petent. partes, numer.* 60. Cuiac. *l.* 12. *obſeruat. c.* 3. & alij.

167 *Hoc mihi longe probabilius.* Et ſi prima ſententia probabilis ſit, longè probabilorem ſecundam eſſe exiſtimo Nã qui vendit ſuam portionẽ hæreditatis ea ſolum cenſetur vendere, quæ ipſi portioni adhærent, & quæ vendens de præſenti habet, *leg. Hæredem, ff mandati*, & *leg. ſecund.* § 1 *ff. de hæredit. vel actio. vendita.* At portio hæreditatis poſtea ſuccedens non erat tempore venditionis, Non igitur reputanda eſt vendita. Fateor quidem, ius accreſcendi non ſequi hæreditate deſtitutũ ſi ea deſtitutus ſit tanquam indignus, ſecus ſi donatione, vel venditione deſtitutus fuerit; quia eo caſu non eſt indignus portione ſuperueniente, cum ius ſuccedendi retineat. Nec verum eſt portioni hæreditatis materiali ius accreſcendi competere; ſed competere perſonæ, cui prædictum ius debetur.

---

## DVBIVM. XXIII.

### *Res vendita cum expreſſione quantitatis eſt, at poſtea maioris, vel minoris quantitatis eſſe reperitur: Pretium ſitne augendum, aut diminuendum, ſi venditio ſit corporis?*

168 *Ad ſtatum quæſtionis nonnulla præmitto.* DIfficultas eſt, cùm ex verbis, aliiſque circumſtantiis colligi perfectè non poteſt, quonam pacto mercis quantitas exprimatur an animo demonſtrandi rem venditam, an reſtringendi alienationem! Et quidem ſi conſtet exprimi quantitatem animo alienationem reſtringendi, ea ſola quantitas, quę fuerit expreſſa, vendita cenſebitur. ſecus verò ſi animo demonſtrandi rem venditam expreſſio fiat. Si diceres, Vendo tibi hunc agrum decem iugera habentem, vel hoc dolium vini, quod continet decem amphoras: Hæc venditio intelligi poteſt fieri ad menſuram, ita vt ſolum decem iugera, vel amphoræ cenſeantur vẽditæ, vel fieri poteſt ad corpus, vt ita cenſeatur venditum corpus id eſt ager, vel dolium, ſiue plures menſuras, ſiue pauciores habeat. Porrò, ſi venditio non à corpore, ſedd à menſura inciperes; v. gr. ſi diceres; Vendo tibi decem iugera, quæ habeo in hoc agro, vel decem vini amphoras, quas hoc dolium continet, tunc enim ſi plures menſurę adeſſent, inuenditę cenſentur. Quęſierim verò, an cum venditio intelligitur eſſe de corpore pretium minuendum ſit, vel augendum, ſi plures, vel pauciores menſurę expreſſis reperiantur?

169 *Pretiũ non eſt augẽdũ.* Nulla eſt obligatio augendi, vel minuendi pretium, ſed incrementum, vel decrementum cedit emptori. Quia illa quantitatis expreſſio non ad arctandam venditionem, ſed ad demonſtrandam,

monſtrandam, & ſignificandam ipſam rem venditam facta eſt. At falſa demonſtratio non vitiat venditionem, donationem, vel legatum. *leg. demonſtratio, ff. de condition.* Ergo. Sic Anton. Gomez *lib. 2. var. c. 2. n. 16.* Rebel. *de iuſt. p. 2. l. 9 ca. 17. ſect. 2.*

170 *Augendũ eſt pretium* Ob incrementum quantitatis expreſſæ pretium augendum, vel minuendum eſt. Quia alias venditor, vel emptor deciperetur. Ità multi, è quorum numero eſt Molina *d. 367. poſt medi.*

171 *Aucторis reſolutio.* Ego autem aliter exiſtimo dicendum, cum exceſſus à quantitate expreſſa reperitur, ac cum reperitur defectus. Nam cum reperitur exceſſus, nulla eſt emptori obligatio, pretium augendi, ſed totum incrementum ipſi cedit ob pretium conſtitutum. Quia intentio vendentis fuit venditionem perficere de illa ſpecie, ſeu corpore, v. gr. de illo fundo, pro cuius naturæ ſignificatione quantitatem expreſſit. Ergò ſi deceptus fuit in eius expreſſione, eo quad plures menſuræ, quam ipſe expreſſit, reperiantur, non ob inde venditio immutanda eſt. Quia ſibi imputare venditor, quod certam quantitatẽ nõ agnouit. E contra res ſe habet, cum defectus, à quantitate expreſſa reperitur, nam eo ipſo debet venditor in foro conſcientiæ, & in exteriori compelli actione quanti minoris ad pretium deſignatum imminuendum.

---

DVBIVM XXIV.

*An teneatur venditor, vitium occultum mercis nec notabiliter noxiæ, vel inutilis emptori manifeſtare, ſi credat non empturum vel non empturum tanto pretio?*

172 *Certũ ſuppono.* CErtum eſt, reſcindi debere venditionem vaccæ (v. gr.) factam ei, qui ad arandum emit, cum ad hoc officium inutilis ſit, licet eodem pretio poterat ad macellum vendi. At ſi merx vitioſa vtilis per accidens ſit ementi, vt equus ſubmancus ſeni, ac ſi vitium non haberet: ſi tamen per ſe ad finem, ad quem emi ſolet, inutilis ſit in foro conſcientiæ contractus poterit reſcindi, quia non eſt ſpectanda vtilitas emptori per accidens contingens, ſed an res empta per ſe vtilis ſit ad finem, ad quem plerumque ſolet emi Molina *d. 353.* Rebel. *p. ſecund. de iuſt. lib. 9. q. 9 n. 5.* Salas *de empt. dub. 35. n. 9.* Quocirca controuerſia eſt, an venditor teneatur vitium occultum mercis manifeſtare nec notabiliter noxium, nec reddens emptori inutilem mercem.

173 *Tenetur quidem in vtroq; foro.* Tenetur quidem. Quia in hoc contractu inuoluntarium interuenit, non enim emptor emeret, vel non emeret tanto pretio, ſi vitium ſibi detegeretur. Habet namque emptor caſu quo vel emere ius contendendi de infimo pretio, qua contentione priuatur ob vitium ſibi inique occultatum. Sic Abbas *ad cap. Iniuſtum, de rer. permutat.* Nauarra *ſumma capite 13. numero 89.* Gabriel. *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 3. articulo tertio dubio primo* Ioannes Medina *de reſtitution. quæſtionẽ 34.* Rebellus plures referens *parte ſecunda libro nono quæſtio. 9. numer. tertio.*

Non tenetur in foro externo, nec in foro conſciẽtiæ. Quia ad inualidandũ contractũ vẽditionis, ſpectandum eſt, an deceptio talis ſit, vt iure naturali, vel poſitiuo contractum annullet: non autem ſpectari debet, an emptor empturus foret, vel non foret, aliàs paſſim contractum diſſoluerentur in graue Reipublicæ detrimentum; cùm ſæpè emptores ſi ſibi omnes circumſtantiæ manifeſtarentur, ab emptione ceſſarent. At leuis iactura rei emptæ nec naturali, nec poſitiuo iuri contractus diſſolutionem præſtat, neque id expediens erat, maximè cum res pretio iuſto ſit empta. Ita Diuus Thom. *2. 2. quæſtion. 77. articul. tertio* & *ibi* Aragon *poſt quint. dictum.* Salon. *controuerſ. ſecunda* Valent. *d quint. quæſt. 22. punct. quart. concluſ ſecund.* Layman. *lib. tertio ſectio. quint. tr. 4. capite 17. paragrapho ſecundo numer. 15.* & colligitur ex *leg. prim paragraph proinde* & *leg. Et quæ vltra ff. de ædilitio edicto.* 174 *Non tenetur.*

Hoc probabilius eſſe reor, nec iudico obſtare, illam emptionem eſſe aliquo modo inuoluntariam; ſatis enim eſt, quod ſimpliciter voluntaria exiſtat. Et licet emptor ius habeat contendendi de infimo pretio; inde non infertur, teneri venditorem, omnia vitia rei venditæ manifeſtare; ſed quæ ex rei natura, & ſpectata communi contrahentium praxi, manifeſtari aſſolent, nempe, quæ reddunt mercem noxiam, vel notabiliter inutilem. 175 *Hoc probabilius eſſe reor.*

---

DVBIVM XXV.

*Facto emptionis, ac venditionis contractu teneturne venditor, rem venditam tradere emptori, cum primùm poſſit: an ſatisfaciat, interesse ſoluendo?*

NOn tenetur quam primum poſſit, tradere, ſed ſatisfacit, ſi intereſſe ſoluat; nec compelli poteſt præcisè ad rem tradendam; ſed ad tradendam rem, vel ad ſoluendum emptori, quanti ſua interſit, quod res non tradatur. Quia *leg. 1 ff. de act. empt.* dicitur. *ſi res vendita non tradatur, ad id, quod intereſt, agitur, & leg. ſi traditio, C. eod. tit.* idem habetur Sic Fachin. *l. 2. contr. c. 30.* relatus à Socin. *l. Certi condict ff. ſi certum petatur.* Et ab Alciat. *ad l. uni. C. de ſent. quæ proe o, quod intereſt.* 176 *Non tenetur.*

Tenetur planè, quã primũ poſſit tradere mercem, compellique ad id poteſt venditor in foro cõſcientiæ obligatus cũ effectu tradendã, v. gr. ad prædiũ: Ergò non ſatisfacit intereſſe ſoluẽdo; aliàs ſatisfaceret, diſſoluẽdo contractũ, & prędium reddẽdo. Ita Gloſ. Bart. & paul. Caſt. *ad l. 1. ff. de action. empti.* Alex. Deci. & Iaſon. *ad l. Certi condict. ff. ſi certum petatur.* Pinel. *ad l. 1. C. de bonis mater. p. 3. n. 26.* Couar. Ant. Gomez Menoch. quos citat, & ſequitur Palao *de iuſt. diſtrib. 5. pun. 13. n. 2* 177 *Tenetur planè.*

178 *Hoc mihi probabilius.* Etſi ſententia prima in foro externo probabilis ſit, probabiliorem ſecundam eſſe reor. Nam leges adductæ à Fachineo probant, ad intereſse agendum eſſe, cum venditor facultatem tradendi mercem non habet. Id enim probant *lex* 1.*&* *lex Traditio.*

---

## DVBIVM XXVI.

*Si venditio completa non ſit, eo quod neque pretium non ſit ſolutum, nec fides de ipſo accepta, an fructus competant venditori?*

179 *Statusquæſtionis* CErtum eſt, peracta venditione fructus rei venditæ naſcituros ad emptorem pertinere, quod intelligo, ſi perfecta ſit venditio. Quid ſi completa non ſit, eo quod nec pretium ſit ſolutum, nec fides de ipſo accepta à venditore, competunt ne illi, an emptori fructus rei venditæ?

180 *Competunt venditori, non emptori.* Competunt venditori. Quia res ſuo domino fructificare debet: at quovſque emptor pretium ſoluat, vel illius fidem venditor ſequutus fuerit dominium rei venditæ, etiam traditæ emptori non acquirit. §.*venditæ Inſtit.de rer.diuiſ.* Ergo neque fructus illi acquiruntur, ſed venditori competunt, ſic communiter Iuriſtæ ad *leg.Curabit.C. de actionib. empti.* & *leg.Iulianus,§.ex vendito, ff. eodem titulo* & *ad leg.fin. ff.de periculo, & commodo rei venditæ.* Lupus *tr.de vſur.* §.7.Minſing.*cent.*4 *obſer.*53.Angel. *v.emptio.num.*5.Couar.*l.*1.*var.c.*15.*n.*2.Molin. *d.*168.Sà *v. venditio num.*12.Rebel.*de inſtit.p. ſecund. l.* 9.*quæſtio. prim.ſectio prima numer. quinto.*

181 *Competunt emptori, non vēditori.* Non competunt venditori, ſed emptori. Quia poſt contractum initum emptionis & venditionis tametſi emptor pretium non ſoluat, vel ipſius fidem venditor non acceperit, res vendita emptori eſt debita: Ergò etiam fructus, qui ex illa re oriuntur debiti ei erunt, cum hi ipſam rem ſequantur, eique adhereſcant Ita Sylueſt. *v.vſura* 2.*q.*11.Roſel.*v.eod.*§.47. Armil.*n.*15. Lopez *lib primo de contract. capite* 36. *ad* 1. Leſſius *libro ſecundo capite* 21.*dub.* 13. *num.* 109. Nauarra.*lib.tertio.de reſtitut.ſectio.quinta tr.*4.*c.*17 §.2.*n.*18.

182 *Hoc verius mihi.* Veriorem ac communiorem hanc ſententiam eſſe reor. Nam peracta venditione ſi res vendita pereat, aut deterior fiat abſque venditoris culpa, eius diminutio aut interitus ad emptorem ſpectat: Ergo etiam ſpectare debet eius commodum, & acceſſio.

***

---

## DVBIvM XXVII.

*An poſſit abſque vſuræ labe venditor cum emptore conuenire, vt interim, dum pretium non ſoluerit, vel res alia frugifera emenda non offertur, aliquam penſionem annuatim ſoluat?*

POteſt quidem. Quia nullū videtur inconueniens, vt id ipſum quod *lex Iulianus*, §. *ex vendito, ff.de actionibus empti.* concedit, in pactum deducatur. Et quia licitum eſt, cum emptore paciſci, vt dum pretium non ſoluerit, res inuendita ſit, percipiat tamen illius fructus ſub penſione annua conſtituta, vt reſoluit Panormitan.*conſil.* 121.*lib.quinto.* Socin, ſenior *conſil.*88.*numero* 14. & alij Ergò idem pactum fieri poteſt, tametſi res abſolutè vendita ſit, & in emptoris tranſlata Dominium; quia ex hac translatione ac venditione nullum emptor incommodum; ſed potius commodum accipit. Sic Cagnol. *ad l. Curabit, ff. de actionibus empti. numero* 57.& *ibi* Lupus *numero* 145. Couarruuias *lib* 3. *var capite* 4.*numer. quint.*Molina *d.* 368.*concl.* 2. 3. *& ſequent.* Fachin. *libro ſecund.controu. capite* 32. 183 *Poteſt quidem.*

Minimè poteſt. Quia nulla apparet ratio ob quam hanc penſionem venditor exigat præter dilatam pretij ſolutionem, non enim exigit titulo locationis, cum nullus ſit; ſed venditionis abſolutæ, quæ cum locatione compati non poteſt. Tùm quia nemo rem propriam conducit, *leg.Qui rem.C.locati.* Tùm quia Dominium in emptorem, cui res eſt vendita, ac tradita trāsfertur *leg.Quod vendidi,ff.de contrahend. emptio.* Neque item exigit, quia tradit rei venditæ dominium, quod poſſet excuſare fidem datam de pretio non admittens? nam hic titulus ſuppoſita abſoluta venditione non eſt pretio æſtimabilis; quia fidem dare de pretio, & admittere ſolutioni pretij debiti dilationem, ad quam admiſſionem, ſuppoſita venditione neceſſariò conſequitur Dominij translatio; at hæc admiſſio virtualis mutuatio eſt; Ergo ob ipſam non poteſt iuſtè pretium exigi. Neque exigere poteſt ob cōpenſationē fructuū, quos ex re vēdita emptor ſuſcipi; quia horū perceptio, ſuppoſita venditione, ipſi debita eſt. Deniq; non eixgit ob lucrū aliquod quod ei ceſſet, aut periculum quod de re vēdita ſuſcipiat vt contrariæ ſētētiæ Doctores fatētur, ſupereſt igitur, vt ob ſolā dilationis cōceſſionē exigat, quod eſt illicitū. Ita Dec. *conſ.*116.119.133.Socin.ſenior ſibi cōtrarius *conſil.* 130.*lib.*4.Craueta *conſ.* 189. Siluan. *conſ.*46.Cephal. *conſ.*290.*lib.*2. Simon Petrus *conſ.*198. Franc.Marc.*deciſ.*891.Rebellus *part. ſecund.de inſt.l.*9.*q.*16 *ſect.* 1. *n.* 15. Laym,*l.*3. *ſect.tr.*4.*c.*17.§.2.Leſſi.*l.*2.*c.*21.*du.*13.*nu*109. 184 *Non poteſt*

Exiſtimo prædictum contractum abſolutè cenſendum eſſe iniquum & vſurarium minimè permiſſum à lege. Lex enim concedit vſuras

vſuras pretij in pœnam moræ culpabilis emptoris fructus ex re vendita percipientis; quæ non ceſſat cum venditor liberè dilationi conſentit.Nec eſt verum, idem commodum emptori accedere ex pacto locationis ſub penſione, ac ex venditione abſoluta cum prefata penſione, quia in priori euentu non ſuſcipit rei periculum,bene tamen in ſecundo.

## DVBIVM XXVIII.

*Donatio incipiens à promiſſione ſi rei ſingularis, & determinatæ facta ſit, obligatne donatarium ad euictionem?*

186 *Nonnulla recolo.* RECOLO, euictionem eſſe ablationem rei emptæ, vel alio contractu habitæ, vnde venditorem rei alienæ teneri de euictione, eſt teneri ad reſtituendum emptori illius aliquid loco eius rei alienæ ab ipſo emptæ, quæ ei euincitur,& aufertur. Quod non ſemper eſt idem, quando tenetur iure naturali, ſeu in foro conſcientiæ, & quando in externo foro tenetur. Conueniunt Doctores venditorem, qui rem alienam mala fide,ſeu ſciens eſſe alienam vendidit emptori id ignoranti, de euictione teneri,ſi emptori fuerit euicta,ſeu ablata. Tenetur autem ex vi iuris naturalis ſeu in foro conſcientiæ ad reſtituendum emptori pretium,quod pro ea debet,& etiam ad alia damna ex euictione emptori ſequuta, quia tunc venditor fuit cauſa iniuſta eorum damnorum, ex vi vero iuris ciuilis ſeu in foro exteriori ad præfata damna tenetur, & etiam vel ad pretium temporis quo res euincitur, vel ad id, quod emptori prodeſſet, ſi ei non euinceretur, prout emptor elegerit. Certè in quolibet contractu oneroſo datur euictio, datur in contractu permutationis, in datione in ſolutum,in dotis æſtimatę conſtitutione, in tranſactione, in diuiſione hæreditatis, in vſufructu, in ſeruitutibus; non autem in contractibus lucratiuis datur.Si rem alienam donaſti; teneris donatario ſumptus factos in re habenda compenſare.Quæſierim autem an ſit locus euictioni,ſi donatio incipiat à promiſſione.

Donatio à promiſſione incipiens obligat donantem de euictione, ex *leg. Ariſt. & leg.*
187 *Obligat donantem.* *prim. Codic. de iure dotium.* Quia donatio à promiſſione incipiens ortum habet à cauſa obligatoria, & neceſſaria,ſi quidem poſita promiſſione,iam donans obligatus eſt donare. At donatio nequit eſſe rei alienæ,ſed propriæ?Ergo euicta re donata vtpote aliena, perſiſtit obligatio donandi ex promiſſione orta. Sic plures, quos refert,ac ſequitur Ant.Gom.*to.2.var.c.2. num.35.*

188 *Non obligat.* Non obligat, ſi rei ſingularis ac determinatæ facta ſit. Quia dicta *lex Ariſto.* & aliæ donationem excuſantes ab euictionis obligatione,non diſtinguũt,an donatio à promiſſione incipiat,an à traditione,ſed abſolutè decidunt,donatorem non teneri de euictione.Ergo de omnibus donationibus id eſt intelligendum. Ita Petr.de Bellapertica *ad leg.2. Cod.de euict.* Fulgoſ.*ad l. Ad res donatas ff. de adilitio edicto.* Mol.*tractat.ſecund.d.352.§.2.* Palao *de iuſtit. diſtrib.d.5.pun.28.§.1.d.10.*

Hanc ſententiam puto veriorem eſſe. Quia 189 *Hoc mihi verius.* donatio, quę incipit à traditione ideo donatorem ab euictione excuſat,quia donans nõ aliud donare intendit,quam id,quod de facto tradit, at promittens rẽ ſingularem donare,nihil aliud videtur promittere,quam rem illam ſingularem tradere.Ergo traditione promiſſionis illius obligationi ſatisfacit, licet poſtmodum euincatur. Notanter dixi,ſi promittitur res certa,& determinata,nam ſi promiſſio ſit in genere,ſi ea quæ tradidiſti tanquam aliena euincantur, teneris alia ſubrogare, non ex natura euictionis, ſed quia obligationis promiſſionis non ſatisfeciſti. Nam cum hæc promiſſio aſtricta non fuerit his indiuiduis determinatis,eorum ſolutione,vt potè rei alienæ non liberaris.

## DVBIVM XXIX.

*An cùm emptor de euictione agit,venditor etſi priuilegiatus, debeat ſequi in hac cauſa forum emptoris?*

190 *Nonnulla recolo.* VT emptor de euictione agere valeat,tenetur denunciare venditori,litem motã eſſe. Quæ denunciatio facienda eſt cum proteſtatione,vt venditor liti aſſiſtat inſerendaque eſt copia libellli. Fieri autem debet hæc denuntiatio venditori in pręſentia: vel ſaltem ad eius damnum.Scio,ab hac denũciatione minorẽ excuſari,Eccleſiamque hoc priuilegio,ex communiori ſententia,potiri.Porro emptor non excuſatur à litis proſecutione denunciatione facta.Venditor autem habens apud ſe inſtrumenta, quib. emptorem defendere poſſit,tenetur ea etiam irrequiſitus exhibere.Licet vero emptor liti aſſiſtere non teneatur, poteſt tamen.Hęc ex cõmuni ſententia recolui.Iam verò requiſierim,num cũ emptor de euictione agit,debeat vẽditor,etſi priuilegiatus ſit,ſequi in hac cauſa forũ emptoris.

191 *Non debet, ſed poteſt.* Non debet venditor cauſam proſequi apud Iudicem emptoris conuenti,ſed ſi priuilegiatus eſt,poteſt ad ſuum propriũ Iudicem cauſam deferre.Quia eo caſu venditor reus eſt,& tanquã reus conuentus cauſam coram ſuo Iudice debet agere. Deinde fiſcus ad ſuum propriũ Iudicem cauſam reuocat,*l.4.C.de iure fiſc.l.10.* Ergo quilibet alius priuilegiatus, maxime Clericus, Sic Gloſ.*ad c.Nullus Clericum.11.q.1.* Speculat.*tit. de primo,& ſecundo decreto.§.reſtat.n.74.* Caſtr. *ad l.Venditor,ff.de iudic.* Imola *ad l.Non ſolum,§.quod vulgo,ff.de vſurpationib.* Platea *ad l. 3.C.de iure fiſci,l.10.* Aretin.§.*Actionum n. 19. Inſt.de action.*

192 *Debet omnino.* Debet venditor cauſam perſequi apud conuẽti emptoris Iudicem,ſed neceſſario apud eundẽ Iudicẽ,vbi lis incœpta eſt proſequi debet.Quia ſi ad proprium Iudicẽ declinaret,deteriorẽ faceret cauſam actoris: maximè cum ipſe venditor conuentus directè non ſit,ſed iuris diſpoſitione conuenti emptoris partes ſuſcipiat. Ita pluribus relatis.Ant.Gomez *tom.2.var.c.2.nu. 39.* Fachin.*l.2.c.37.* Mol.*d.380.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

193 *Hoc mihi verius.* Hæc ſententia communior, & verior mihi. Quia exiſtimo, id aperte conſtare ex *leg. Venditor, ff. de iudicijs*, ibi: *Paulus reſpondit, venditorem emptoris Iudicem ſequi ſolere.* Certe ad ſimilem de fiſco reſpondeo, fiſco eſse ſpeciale priuilegium, quod in Clerico, alijsque priuilegiatis minime inuenitur.

## DVBIVM XXX.

*An Mobilia pretioſa, nempe arma, gemmæ, lapideſve pretioſi, aliaque ſimilia ſint, retractui ſubiecta in venditione, & emptione?*

194 *De retractu nonnulla recolo.* Retractum in genere vocitamus ius lege ſtatutum, vel conſuetudine alicui conceſſum reſcindendi, ſeu reuocandi, quæ ab alio ſunt alienata. Hoc ius odioſum eſt, & ſtricte interpretandum, vtpotè quod facultatem à natura conceſsam cuilibet de re propria libere diſponendi, reſtringit. Sicuti intelligitur ex *leg. Dudum, C. de contrahen. empt.* Triplicem autem eſse retractum recolo, ſanguinis, ſocietatis, publici boni. Retractus ſanguinis locum tantum habet in rebus immobilibus ſucceſſione hæreditaria acquiſitis. Res emphyteutica retractui eſt ſubiecta: non autem cenſus venditio, neque penſio in tua poſseſſione conſtituta, neque venditio commoditatum, quas feudatarius habet, neque venditio vſusfructus, habitationis in re immobili ad perpetuum. Quæſierim vero num mobilia pretioſa, nempe arma, gemmæ &c. ſint retractui ſubiecta?

195 *Subiecta ſunt retractui.* Subiecta ſunt. Quia hæc mobilia pretioſa comprehenduntur ſub immobilibus alienari prohibitis. Et in præſenti eſt ſpecialis ratio: cum affectio his mobilibus æque ac in immobilibus adhæreat, maiorumque memoria eorũ retentione conſeruatur. Sic Tiraquel. *in præfat. retract. numero 33.38.49. & 50.*

196 *Non ſunt ſubiecta.* Subiecta non ſunt. Quia cum lex retractum concedens odioſa ſit, ſoláque immobilia expreſſerit, non eſt, cur ad mobilia quantumuis pretioſa diſpoſitionem extendamus. Ita Matienzo alios referens *ad leg. 7. tit. 11 gloſ. 1. nu. 3. & 49.* Tiraquel. *l. 1. de retract. §. 1. gloſ. 7. numer. 101.*

197 *Hoc verius mihi.* Verius exiſtimo, horum venditionem retractui non ſubijci. Neque enim in illis affectio, & memoria maiorũ æque firmiter, ac in immobilibus conſeruatur, cum mobilia facilius pereant, faciliuſque noſtra auferautur à poteſtate.

## DVBIVM XXXI.

*An ex emptione ſub pacto reuendendi interueniente modiciſſimo pretio præſumatur vſura?*

198 *De reuendendo certa ſuppono.* Certum mihi, pactum reuendendi appoſitum venditioni licitum eſſe vti colligo ex Leuit. 25. Vbi filiis Iſraël permittebatur venditas poſſeſſiones re emere. Ratio eſt manifeſta, quia ſi pactum reuendendi in fauorem venditoris apponatur, poteſt venditor onus, quod emptori apponit, pretij diminutioni compenſare. Si autem in fauorem emptoris appoſitum ſit, poteſt emptor, augmento pretij grauamen compenſare. Ergò licitus eſt talis contractus, maximè cum nullo iure poſitiuo reprobatus reperiatur. Molina *tr. 2. d. 375. & 377.* Leſſius *l. ſecund. cap. 21. dub. 14.* Couar. *l. 3. var. cap. 8. num. 1.* Anton. Gomez *l. 2. var. c. 2. num. 21.* Grauis autem eſt inter Doctores controuerſia, an ex emptione ſub pacto reuendendi, interueniente modiciſſimo pretio, vſura præſumatur.

199 *Preſumitur vſura.* Præſumitur quidem. Quia illa venditio eſt ſimulata, & pecunia data non eſt in pretium rei emptæ, ſed in mutuum, reſque emptori tradita, quam certo credidit eſſe redimendam, loco pignoris aſſumpſiſſe. Sic multi, quos memorat Couarruuias *lib. tertio variar. capite 3. num. 3. & 4.* Fachin. *lib. 7. controu. cap. 12. & l. 12. c. 27.*

200 *Non præſumitur.* Non præſumitur. Quia ex ſola modicitate pretij non colligitur contractum eſſe vſurariũ niſi aliæ circumſtantiæ pretij modicitati adiiciantur, ex quibus firmior præſumptio ingeneretur. Ita alij citati ab eiſdem Couar. & Fachin. *vbi ſuprà.*

201 *Verius hoc mihi.* Veriorem reputo hanc ſententiam, ſi ſola pretij modicitas ſpectetur, nec aliæ ſubſint circumſtantiæ, de quibus in *capite Ad noſtram de empti. & vendit.* & *cap. illo vos. de pignoribus.* Nam ſi hæ circumſtantiæ modico illi pretio adiiciantur, vſurarium eſſe contractum merito præſumetur. Circumſtantiæ autem hæ ſunt. Vt emens modico pretio aſſuetus ſit vſuris. Vt lucrum aliquod ex ſimulata emptione comparet.

## DVBIVM XXXII.

*An facto reuendendi pacto in fauorem venditoris, emptor poſſit compelli ad reuendendum?*

202 *Compelli non poteſt.* Non poteſt emptor compelli præciſè ad reuendendum; vel ad ſoluendum intereſſe. Quia obligatus ad factum compelli nequit præciſè ad ipſum exequendum, ſed ad ſoluendum intereſſe, caſu quo factum non præſtiterit. *leg. ſtipulationes non diuiduntur ff. de verb. obligat.* At obligatus ad reuendendum, obligatur ad factum, quippe reuenditio factum eſt, *argum. leg. 4. ff. de curat. furioſo.* Ergò non poteſt emptor compelli præciſè ad reuendendum. Sic graues Doctores relati à Tiraquel. *de contract. conuentional. lib. §. 1. gloſ. 7. num. 60.* quos ſequitur Gregor Lopez *ad leg. 42. tit. 5. part. 5. gloſ. 3.*

203 *Poteſt compelli* Poteſt emptor compelli, ad reuendendum ſi reuendendi eſt facultas. Quia obligatio proueniens ex contractu ſumenda eſt iuxta intentioné contrahentium, *leg. ſemper in ſtipulationibus, ff. de reg. iur.* At véditor exigẽs ab emptore

reuenditionem,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reuenditionem, manifeſte indicat, reuenditionem velle determinatè, non autem ſub disiunctione ipſam, vel intereſſe, intendit, vt pretio reſtituto, res ſibi non illius intereſſe reſtituatur. Ita pluribus relatis Fachin. *l. 2. contro. c. 8.* qui id probat ex *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.* Caſtro Palao *de iuſt. diſtrib. d. 5. p. 21. §. 2. n. 2.*

204 *Hoc mihi verius.* Longe veriorem hanc reputo ſententiam. Quia præſumi non poteſt venditor paciſcens de re ſibi reuendenda contentus fore obligatione emptoris ſoluendi intereſſe, quando res vendita illi reddi poteſt, cùm ad intereſſe exigendū in illius priuatione difficili quidem debeat inſudare. Fateor equidem obligatum ad factum ſatisfacere ſoluendo intereſſe, quando non conſtat, præcisè, ac determinatè ad factum obligationem fuiſſe, ſicut in caſu noſtro conſtat.

---

## DVBIVM XXXIII.

*An ſi quis promittat, ſe contracturum obligationem reuendendi poſſit ad reuendendum compelli?*

205 *Compelli non poteſt.* COmpelli non poteſt. Quia promiſſiones, & obligationes ex contractibus prouenientes non debent extendi vltra contrahentium verba *leg. Non omnis, ff. ſi certum petatur.* At promittens ſe obligaturum reuenditionem pręſtare, non exprimit ſe præſtaturum reuenditionem, ſed obligationem reuenditionis contracturum, quę obligatio reuenditionis à reuenditione eſt prorſus diſtincta, ſicuti vendendi promiſſio diſtincta eſt à venditione. Sic Decius, & Riminald, *ad leg. cum fundus, §. ſeruum tuum. ff. ſi certum petatur.* Marſil. *ſingul.* 496. Grammatic. *deciſ.* 103. *nu.* 188. & alij, quos refert, ac ſequitur Roland. á Valle *conſil.* 69. *n.* 25. *lib.* 3.

206 *Poteſt compelli.* Poteſt compelli ad reuendendum eo quod promiſit obligationem reuendendi ſubiturum. Quia qui promiſit ſe obligaturum ad decem, compelli poteſt immediatè ad decem præſtanda. Ergo promittens, ſe obligaturum ad reuendendum, ad id compelli poterit. Obligationi enim reuendendi ſatisfacere nequit niſi media reuenditione. Igitur promittens obligationem reuendendi ſubiturum, virtute promittit reuenditionem. Ne ergò inutiles actus multiplicentur (quod omninò vitari debet, *leg. Cum fundus, §. ſeruum tuum*) compellendus eſt ad reuenditionem, non ad obligationem reuenditionis. Ita Fachin. plures referens *l. ſecund. Controu. capite ſeptim.* ex Doctrina Ioan. Andr. *in addit. ad ſpec tit. de ſolut. & oblig.*

207 *Verior mihi ſententia hæc.* Hanc ſententiam longe veriorem eſſe reor. Admitto enim, non eſſe extenſionem faciendam vltra verba expreſſa contrahentium, niſi ad ea tantum, quæ ſub illis verbis expreſſis virtute continentur, quia hæc non eſt obligationis extenſio, ſed declaratio, ex qua circuitus vetantur inutiles. Porrò ex præfata promiſſione obligatur ille promiſſario pręſtare quantum illi interſit, ea obligatio reuendendi: At id quod promiſſario ea obligatio reuendendi intereſt, eſt rem venditam rehabere. Ergo?

---

## DVBIVM XXXIV.

*An minor emens cum pacto reuendendi poſſit obligari ad reuendendum abſque Iudicis decreto, bona immobilia?*

OBligari non poteſt. Quia minori, abſque Iudicis decreto, non eſt permiſſum fundum acquiſitum alienare, at emptione licet ſub pacto reuendendi dominium rei emptæ minori quæſitum eſt, nequit ergo abſque Iudicis authoritate illud alienare. At ſi obligaretur ad reuendendum obligaretur ad alienandum, cum reuenditio ſit rei acquiſitæ alienatio. Sic Fach. *l. 2. controu. c. 3.* plures referens. 208 *Obligari non poteſt.*

Poteſt obligari. Quia illa reuenditio cum ſit ex neceſſitate prioris emptionis, non eſt contractus, ſed diſtractus, & dominij acquiſiti neceſſaria reſolutio, non voluntaria tranſmiſſio. Ergò cum minori prohibita eſt rerum immobilium alienatio, de alienatione voluntaria, ac propria debet intelligi, non de impropria ac neceſſaria alienatione. Ita Baldus *conſil.* 416. *l.* 2. Andr. Iſernia *ad cap. 1. §. 1. de feudo dato in vim leg. commiſ.* Cagnol. *ad l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. n.* 149. Pinel. *ad l. 1. p. 3. C. de bonis matern.* Tiraq. *de retractu conuent. ad finem tit. n.* 13. 209 *Obligari poteſt.*

Verius hoc mihi. Nam pactum reuendendi eſt conditio prioris emptionis, ob quam fundus minori emitur pretio, quam ſecluſo hoc pacto emeretur, quia onus illud pretio eſt æſtimabile. Ergo ſi emptio ſubſiſtere debet, debet ſubſiſtere, & conditio, ſub qua facta eſt, alia minor iniuſtus proculdubio eſſet. 210 *Hanc præfero ſententiam.*

---

## DVBIVM XXXV.

*An ſi de facto emptor rem venditam ſub pacto redimendi vendat alteri, primus venditor ex vi prædicti pacti poſſit aduerſus ſecundum emptorem agere ad rei vindicationem?*

CErtum eſt, durante tempore, quo venditor redimere poteſt, nequire emptorem alteri rem emptam vendere, vel donare. Eſt autem dubium, an ſi de facto alteri vendat, poſſit venditor ex vi pacti illius agere aduerſus ſecundum emptorem rei vindicatione. 211 *Quæſtionis ſtatus.*

Poteſt quidem, quia ex pacto reuendendi venditio prius facta reſoluitur, & res priſtinum reſtituitur in ſtatum. Ergo venditor agere poterit aduerſus quemlibet poſſeſſorem, tanquam 212 *Poteſt quidem.*

in poſſeſſorem rei alienæ. Sic Paulus de Caſtro *ad l. ſi cum venderet ff. de pignorat. act.* Ioan. de Anania *ad cap. conqueſtus, de vſur.* Decius *conſ.* 614. *nu* 4. Anton. Burgens *ad cap. Ad noſtram de emot. & vendit.* Tiraquel. *de retract. cenuent* §. 1. *gloſſ.* 7. *n.* 7. Cou. *l.* 3. *var. c.* 8. *n.* Menoch. *conſ.* 63. *n.* 14. & Gregor. Lopez *ad l.* 42. *tit.* 5. *p.* 5. *glo.* 7. aſſerit hanc ſententiam maxima æquitate fulciri.

213 *Non poteſt.* Minime poteſt. Quia *leg.* 2. *C. de pact. inter empt. & venditor*, deciditur, ex pacto reuendendi oriri actionem præſcriptis verbis, & ex empto, quæ actio perſonalis eſt, qua quidem emptor cogi poteſt, vt emptionem diſſoluat, & rem emptam reſtituat, ſi in eius eſt poteſtate, ſin minus intereſſe. De actione autem rei vindicationis neque ibi, neque alibi vllum verbum habetur. Ita relato Baldo, Alexandro, Bartulo. & alijs, Ant. Gomez *l.* 2. *var c.* 2. *n.* 29. Greg. Lopez *l.* 42. *gloſ.* 7. *tit.* 5. *p.* 5. Fachin. *l.* 2. *contr c.* 14. Mol. *tr.* 2. *d.* 374. aſſerens, hanc opinione aperte probari ex *lege Regia* 42.

214 *Probabilior ſententia.* Certe hanc ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo, quam à ſimili confirmarim. Nam ſi venditio vni facta non impedit, quin valide alteri res vendatur, & tradatur, neque ex ea priori venditione comparat emptor ius aduerſus ſecundum emptorem iuxta *leg. Quoties Codic. de rei vendit, & lege ſiue autem*, §. *ſi duobus, ff. de publiciana.* Ergo neque pactum reuendendi, quod minus eſt, quam venditio, impediat tranſlationem dominij in emptorem ſecundum, neque venditor acquiret aduerſus illum reſcindendi venditionem, poteſtatem. Excipio tamen, niſi pacto reuendendi adderetur conditio, ne emptor alienare rem emptam poſſet, eſſetque alienatio infecta, quia eo in euentu poterit emptor aduerſus tertium poſſeſſorem agere, vtpote qui rei ſibi alienatæ dominium non acquiſierit.

---

## DVBIVM XXXVI.

*An Gabella debeatur ex venditione ſub pacto legis commiſſoriæ, & adiectionis in diem, aut ex pacto reuendendi; adiecta clauſula, quod res inempta ſit?*

215 *Nonnulla ſuppono.* SVppono, venditionem ſub pacto legis commiſſoriæ inſtitui, cum rem vendis Antonio ea conditionce appoſita, vt intra menſem, vel annum pretium non ſoluerit, inempta ſit, *leg. prim. ff. de leg. commiſſ.* Vocatur autem hoc pactum legis commiſſoriæ, quia lege fingitur incidere in commiſſum, qui pretium ſtatuto tempore non ſoluit, ſicut incidit feudatarius non ſoluens penſionem. Venditio autem ſub pacto adiectionis in diem concipitur, ſi vendas rem conditione appoſita, vt ſi intra menſem vel annum alius meliorem fecerit emptionem, res ſit inempta. Cenſebitur autem melior emptio fieri, ſi maius pretium, vel commodior ſolutio offeratur *leg. ſi quis hac. ff. de rei vindic. & l.* 4. *tit.* 5. *p.* 5. Hoc præmiſſo, quæſtio voluitur, an debeatur gabella ex venditione ſub pacto legis huiuſce commiſſoriæ, & adiectionis in diem.

215 *Debetur quidem gabella.* Debetur quidem. Quia ille contractus fuit pure ac ſimpliciter celebratus, & per conſequens fuit ius fiſco quæſitũ. Et licet poſtmodũ reſoluatur, quaſi factus non eſset id intelligendum eſt comparatione contrahentium, non autem reſpectu fiſci, cui eſt ius acquiſitum. Sic Ant. Gomez *l.* 2. *var. c.* 1. *n.* 31. adducens textum *in l.* 3. *ff de contrahenda empt.* & alios, citatque Bartolum.

217 *Non debetur.* Ex vitalis contractus nulla gabella debetur, & ſi forte facto contractu fuerit ſoluta, eo ſoluto, repeti poteſt tanquam indebita. Quia reſolutio illius contractus: quæ ex præfatis pactis fit, ita efficax eſt, vt ex iuris fictione reputetur contractus nunquam factus. At ſi contractus factus non eſset, non deberetur gabella, ergò neque debetur eo facto, ac reſoluto. Ita ex communi ſententia Laſarte *de decima vendit. c.* 14. *n.* 19. Mol. *d.* 378. Leſſ. *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 15. *n.* 127. & alij plures relati ab Ant. Gomez *vbi ſup.*

218 *Verius hoc.* Probabilius hoc mihi indicanti, abſque fundamento Antonium Gomezium aſſeruiſse, reſoluendum eſse contractum comparatione cõtrahentium, & non fiſci comparatione, ſiquidem eodem modo emptori ac fiſco ius quæſitum eſt, ſed infirmum, & ex vi tituli, quo dominium acquiritur, reſoluendum. Neque contrarium probant leges, quas adducit.

---

## DVBIVM XXXVII.

*An verſuræ, quas vulgò Moatras vocitamus, ſint licitæ, & validæ?*

219 *Status quæſtionis.* SÆpe contingit, aliquem pecunia præſent indigere, quam mutuatam reperire non poteſt, eaque de cauſa ad mercatorem accedit ab eo credito empturus mercem, quam emptam eidem viliori pretio vendit. Quæſierim igitur, an huiuſmodi contractus validus ſit, ac licitus?

220 *Licitus, & validus eſt* Nec licitus, nec validus eſt. Quia in omni fere Republica bene inſtituta eſt prohibitus, tùm ob periculum iniuſtitiæ plus iuſto vendẽdi ad creditũ, & minus iuſto poſtea emendi, tùm ne ciues ſpeciatim nobiles debitis inutilibus grauentur, in pauperiẽ deueniant, & fideiuſsores incõmodo afficiant. Ob quas cauſas merito in Luſitaniæ Regno 4. *p leg extrau. ti.* 10. *l.* 2. Sancitũ eſt ſub pœna exilij, & quinquaginta aureorũ, amiſſioniſq; debitis, ne quis vendat merces ei, quas cõſtat non emere ad negotiandũ neque ad conſumendum, in ſua familia, ſed ad eas iterum viliori pretio vendendum. In Regno autem Caſtellę *l.* 29. *ti.* 4. *l.* 3. *noua recopil.* præcipitur Iudicibus, vt hos contractus puniant quatenus eos illicitos, & in fraudem vſurarum celebratos inuenerint. & *l.* 22. *tit.* 11. *l.* 5. prohibetur mercatoribus emere pecunia numerata, quæ credito maiori pecunia vendiderant, ſub pœna illa amittendi, ſoluendique quinquaginta millia maranedinos. Hæ leges indicant, huiuſmodi contractum eſse illicitum. Sic Medina *p.* 1. *ſum. c.* 14. §. 23. *poſt medi.*

221 *Validus eſt & licitus.*

Validus eſt & licitus. Quia ſecluſo pacto reuendendi nulla apparet hic iniuſtitia, ſi rem intra latitudinem iuſti pretij carius ad creditum quis vendat mercem, quam poſtea numerata pecunia viliori pretio redimit. Nam in venditione illa ad creditum nulla eſt iniuſtitia cum ponamus iuſtum pretium ſummum excedere. Quod verò rem redimat viliori pretio, iuſto tamen infimum quidem non tranſiliente; nulla venditori iniuſtitia irrogatur, cum illum ad ſic reuendendum non cogat mercator: potius illi beneficium præſtat, excuſans, ne alios emptores quærat, fortaſſe non facile, & abſque ſumptibus inueniendos. Ita Omar. *ſumma capite* 23. *numer* 91. Graf *parte prim deciſ. l.* 2. *capit.* 109. *num.* 4 Gutier. *lib.* 1. *qq. Canon. cap.* 39. *n. vltim.* Leſſius *lib ſecun cap.* 21. *dub.* 16. Nauarra *de reſt. l.* 3. *capite ſecund. num.* 170. Tolet. *lib. quinto cap.* 31. *numer. tertio* Rebellus *parte ſecunda de inſt. l.* 9. *q.* 8. & alij, quos refert, ac ſequitur Salas *tr. de empt. dubio* 27.

222 *Auctoris reſolutio.*

Ego quidem ſic quæſtioni reſpondeo; ſi vendas credito ſub pacto, vt pecunia numerata viliori emptor rem emptam tibi reuendat, ea venditio illicita eſt; quia minori ſumma præſentis pecuniæ comparas maiorem ad creditũ vel è contra maiorem ſummam ad creditum compenſare intendis minori numerata. Quod vſura palliata cenſeri debet cum plus iuſto vendis, & minus iuſto emere intendis. Id verò ordinariè fit & illud palam includitur ſaltem & id, Vnde ſapienter lege etiam Dubium hoc, vbi modus vendendi prohibetur, vt in Luſitania peccatum eſſe lethale vendere iis merces quos ſcis, non emere ad negotiandum, nec ad conſumendum in ſua familia, ſed ad viliori pretio numerata pecunia reuendendum: Et in Regno Caſtellæ ſi viliori pretio emas, quæ carius ad creditum vendidiſti. Attamen id crediderim, intelligendum eſſe ſaltem in Caſtellæ Regno, cum extra latitudinem iuſti pretij venditio, aut emptio contingit vt indicat *lex.* 29. qua præcipitur Iudicibus, vt puniant hos contractus quos illicitos inuenerint, & in vſurarum fraudem celebratos. Salas *dub.* 37. Azeuedo *leg.* 22. *tit.* 11. *l.* 5. *compil.* & alij. Non me latet, plures ex citatis Doctoribus aduertiſſe, ſi ſcias, emptorem ad reuendendum emere, plerumque peccare contra charitatem tùm, denegando mutuum indigenti, ſi abſque graui incommodo concedere valeas: tùm ſcandalum ingenerando, quod regulariter contingit, cum ab hominibus exiſtimetur rem ſupra iuſtum pretium vendi & emi infra iuſtum: vel emi ſub pacto viliori pretio reuendẽdi. Attamen ſecluſis his circumſtantiis extrinſecis licitum iudico, ſpectato iure naturæ, huiuſmodi venditio & reemptio.

***

---

## DVBIVM XXXVIII.

*An ſit contra iuſtitiam Monopolium, cum mercatores conſpirant, ne merces vendantur niſi intra ſummi pretij latitudinem?*

VAriè monopolium poteſt contingere, vt in *ſect.* 1. aduertimus. Monopolij vnus modus eſt, cum mercatores conſpirant, ne merces vendãtur infra tale pretium. Et quidem ſi eſt vltra rigoroſum iuſtum, vt plerumque conſiſtit, nemini dubium eſt, peccatum eſſe contra iuſtitiam cum reſtituendi obligatione. At ſi intra latitudinem iuſti pretij ſit etiã ſummi, quæſi erim, nùm huiuſmodi mercatorum conuentio aut conſpiratio ſit contra iuſtitiam? 223 *Quæſtionis ſtatus.*

224 *Non eſt contra iuſtitam*

Contra iuſtitiam non eſt, nec reſtitutionis obligationem contrahit, tametſi contra charitatem delinquatur. Quia peccatum non eſt, ſi abſque vi, metu, vel fraude perſuadeas alicui, ne ſuas merces vendat minori pretio, quam rigoroſo iuſto; nihil enim illicitum ſuades, neque emptores habent ius, vt ab hiſce ſuaſionibus deſiſtas; ſed tantum habent ius, vt ab hiſce ſuaſionibus deſiſtas; ſed tantum habent ius, nè alterius voluntatem vi, vel fraude compellas. At in conſpiratione mercatores id ipſum ſibi inuicem ſuadent, & de eius executione fidem præſtant. Ergò nihil iniuſtum committunt. Imò nec charitatem offendent, cum pretium iuſtum non excedant. Sic Molina *d.* 345. Leſſius *lib. ſecund capite* 21 *numer.* 145. Nauarra *de reſt. lib.* 3. *capite ſecundo dub.* 9. *numer.* 85. Angl. *q. de empt. articulo* 1. *dub.* 2. *diffic.* 1. & alij.

225 *Contra iuſtitiam eſt.*

Eſt contra iuſtitam cum obligatione reſtituendi emptoribus, quanti creditur minoris empturos, ſi ea conſpiratio non adeſſet. Quia vi huius conſpirationis compelluntur emptores pretio illo rigoroſo emere, alias non empturi niſi pretio medio, vel infimo. Ergo in ea conſpiratione peccatum iniuſtitiæ committitur. Probo hanc conſequentiam: quia Reſpublica eiuſque ciues ius iuſtitiæ habent, ne mediis iniquis, & illicitis compellantur merces auctori pretio emere, quam alias eſſent empturi. Cum ergò hæc conſpiratio illicita ſit, & iniqua, vtpote legibus interdicta, conuincitur, contra iuſtitiam peccaturos mercatores in ea conuentione. Ita Sotus *lib. ſexto de iuſtit. q. ſecund. articulo tertio* Nauar. *ſumm. capite.* 23. *num.* 92. Salas & aliis relatis *de empt dub.* 38. Layman. *lib. tertio ſectio. quinta tract.* 4. *capite* 17. §. *vltim.* Palao *de iuſtit. diſtr. d. quint. pun.* 34. *numer.* 4. Conrad. *de contr. q.* 51. Rebellus *de iuſtit. parte ſecunda lib.* 9. *quæſtio. ſeptima numero quint.*

226 *Probabilius hoc mihi.*

Probabiliorem hanc ſententiam eſſe iudico, quæ conuinci videtur ex *leg. vnic. Codic. de monopol.* vbi inquit Zeno; *Neve quis illicitis habitis*

*bitis conuentionibus coniuret, aut paciſcatur, vt ſpecies diuerſorum corporum negotiationis non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venundentur.* En qualiter conſultus prohibet conuentionem de diuendenda merce ſtatuto pretio, etiamſi ſupra rigoroſum non' ſit. Præterea iniuſtum eſt, pretium taxatum à Republica derogare, aut impedire, ne taxetur, ſed pro vendentium arbitratu conſtituere. At ſi hæc conuentio eſſet ſuſtinenda, pretium medium, & infimum illarum mercium prorſus ceſſaret, & tantum vnicum pretium rigoroſum ex vendentium voluntate perſiſteret.

---

## DVBIVM XXXIX.

*An Monopolium ſit illicitum, ſi quis vel alij cum illo omnes merces alicuius generis tempore abundantiæ vili pretio emant, carius poſtmodum diuendendas?*

227 *Eſt illicitũ.* EST illicitum. Quia hac emptione ſimul cum recluſione mercium compelluntur emptores ad pretium augendum, priuaturque Reſpublica ne abundantia illa fruatur, & & merces pretio commodo habeat, vel ſaltem de medio tollitur pretium infimum, & medium, quæ omnia videntur iniuſta, ſicut de conuentione mercatorum circa pretium rigoroſum *Dub. proxino* dixi. Sic Menoch. *de arbitrar caſu* 384. *&* *caſu.* 569. *numero quinto* 11. *&* 12. Sylueſt. *verſ. emptio, quæſtio.* 10. Gabri *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 10. *articulo* 3. *dub.* 1. Ioan. Medin. *de reſt. q.* 30. *&* 36. & alij relati à Salas *de empt. dub.* 38.

228 *Illicitum non eſt.* Licitum omnino eſt. Quia cum quis omnes merces emit, nō impedit alios, quin emant, nullam in ea emptione iniuſtitiam committit. Nec etiam iniuſtus eſt ex eo quod eas merces aſſeruet, ſiquidem poſſet eas pro libtio perdere. Nec item in earum venditione, cum ſupponamus illum eas vendere pretio currenti iuxta prudentum æſtimationem. Nec obligatus eſt, eas omes ſimul venales exponere, dum à Republica non compellitur. Ergo ex nullo capite apparet iniquitas. Ità Molina *d.* 355. Palao *de iuſt, diſtrib d. quinto punct.* 34. *numer ſexto.* Leſſius *libro ſecundo. cap.* 21. *dub. vltim. numero* 152.

229 *Hanc ſententiam præfero.* Hanc ſententiam præfero, maximè cum nullam videam legem poſitiuam huiuſmodi conuention ēprohibentem: quin potius Dardaniorum officium, vtpote Reipublicæ commodum ferè vbique approbatum experiar. Aliàs equidem illicita fuiſſet empito, quam Patriarcha Ioſeph in Ægypto præſtitit, cum abundantiæ tempore frumenta vili pretio emit, quæ poſtmodum carius vendidit. Porrò damnum quod ex augmento pretij inferri videtur, ſtatim Reipublicæ compenſatur illarum mercium ſterilitatis tempore abundantia. Præterquam quod illud pretij augmentum non ex emptione mercatorum, merciumque in illud tempus reſeruatione prouenit, ſed ex temporis ſterilitate.

---

## DVBIVM XL.

*Falſas litteras quis ex induſtria apponit legendas, quibus emptores inducuntur ad carius emendum: perpetratne iniuſtitiam?*

CErtum eſt, illicitam reddi venditionem cum obligatione reſtituendi, ſi fraude ac dolo quis inducat emptorem, vt mercem vltra iuſtum pretium emat. Mol. *d.* 346. vnde ſi ſparſo rumore, aut litteris falſò conſcriptis de obſidione ſuperuentura, nauium naufragio, aliiſve ſimilib. quibus occaſio eſt augendi merciũ pretium vltra id, quo communiter venderentur: tenebitur planè, omne illud augmentum emptoribus reſtituere: vtpote fallaciis inductum. Ex eo autem quod venditores, etiam ſub iuramento affirment, pluris ſibi ſtetiſſe merces, aut pluris aliis vendidiſſe, quam ſibi ab his emptoribus offertur: & ſi his dictis falſis inducatur emptor ad carius emendum, quam alias eſſet empturus: non ob inde videntur mercatores ad reſtitutionem obligari. Quia huiuſmodi ſtratagemata emptoribus ſunt communiter nota, ac proinde fidem eis præſtans ſuæ debet deceptionem leuitati imputare. Rebel. *p.* 2 *de iuſt. l.* 9. *q.* 7. *in fine.* Quid ſi litteras, quarum mentionē fecit, quis data opera eo in loco apertas appoſuerit, vt alij legerent & deciperētur; quib. lectis decepti ſunt, vt multas emerent merces carius quam aliàs eſſent empturi? Teneturne ad horum damnorum reparationem? 230 *Certa pre. libo.*

231 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia horum damnorum cauſa non fuit: hæc enim non ex fictione illarum litterarum, neque ex appoſitione illarum, in tali loco prouenere: ſed ex eo quod lectæ fuerint. At hæc lectio illi imputanda non eſt, cum ad eam non induxerit: quin imo conqueri poteſt, quod contra iuſtitiam legentes egerint, & eius ſecreta inueſtigauerint. Sic nonnulli, quos preſſo nominie Caſtro Palao memorat, eorumque ſententiam probabilem eſſe profitetur. *de inſt. diſtrib. diſput. quint. pun.* 35. *numer.* 3.

232 *Tenetur omninò.* Tenetur omninò. Quia horum damnorum iniuſta cauſa proculdubio fuit litteras confingens, & legendas exponens. Si enim ille non ſcripſiſſet & eo animo appoſuiſſet in publico, alij legentes non deciperentur. Ita Palao *citat.* Rebel. *de iuſtit. parte* 2. *lib.* 9. *q. ſeptim. numero* 8.

233 *Hoc mihi certum.* Hoc certum puto, mirorque meum Ferdinandum de Caſtro aſſeruiſſe, primam ſententiam probabilem eſſe. Nam legentes prudenter litteris illi fidē adhibuere, cùm fingerētur miſſæ ab homine perito, ac digno fide. Ex alia parte cum in publico deceptor illas appoſuit apertas, non recuſauit ab aliis legi. Ergo cauſa fuit moralis deceptionis, & conſequenter damnorum emptoribus prouenientium, quæ proculdubio debet reſtituere.

DVBIVM

## DVBIVM XLI.

*Qui veras litteras conſciſſas legit, quarum occaſione lucrum alteri præripuit: teneturne ad reſtitutionem?*

234 *Quæſtionis ſtatus.* SVppono, te veras de inopia futura litteras accepiſſe, quas ruptas & in minutiſſimas particulas conciſſas alius collectas, & arte compoſitas perlegit. Lucrumque, quod tu ex notitia illa comparare debueras, præripit. Quæſierim an tibi illud reſtituere teneatur?

235 *Tenetur quidem.* Tenetur planè Quia iniuſtus in ea lectione fuit æque, ac ſi litteras clauſas aperiret, ac legeret: ruptura enim illa æque indicat rumpentem velle id, quod in illis litteris continebatur nulli eſſe notum peirnde ac ſi ſigillatæ eſſent Ergò æque iniuſtitiam committit procurans illas legere medio extraordinario, ac ſi litteras ſigillatas medio aliquo inuſitato perlegiſset. Poſita autem hac iniuſtitia, cum indè occaſionem ſumat impediendi, ne tu lucrum conſequaris obligatus videtur, tibi lucrum reſtituere, Sic Rebellus *parte ſecund. de iuſtit. l. 9. qu. ſeptim. num.* 8. aſſerens hoc probabilius eſſe.

236 *Minime tenetur.* Minimè tenetur. Quia eſto in illa frumentorum collectione, & induſtrioſa compoſitione, ac lectione iniuſtitia interueniat, (quod multi negant, cum pro derelictis iam haberentur attamen illa notitia cauſa non eſt per ſe tibi damnum impendendi, ſed ſolùm eſt per ſe cauſa agnoſcendi ſecretum, diligentiam diſponendi, tuamque ſegnitiem condemnandi Ita Syluest. *v. Empt. q.* 17. Palao *de iuſt. commutat. d quinto pun.* 35. *num.* 4.

237 *Idem iudico probabilius.* Ego quidem P. Rebelli venia hanc ſententiam probabiliorem eſſe iudico. Nam arte componens litterarum particulas ex curioſitate id agit, non vt iniuſte à te aliquid abſtrahat. Ex accidenti autem poſt cognitã futuram merciũ penuriam, decernit occaſione illa ad comparandum lucrum poterit. Cognita namque arcana illa admonitione cauſualiter eodẽ ac tu iure fungitur, ad lucrum illud procurandum. Porrò *de negotiatione Regularibus interdicta ac clericis* hic agendum erat. Sed de hac materia recurret tractatio, cum *volum. vltim.* de triplici ſtatu ſeculari, Eccleſiaſtico ac Religioſo diſſeramus.

***

# CAPVT IX.

## *Circa cenſum, ſeu annuum redditum.*

## DVBIVM XLII

*An cenſus, qui de facto conſtitui ſolent, ſint mere reales, & non mixti?*

REcolo, cenſum diuidi in conſignatiuum, & reſeruatiuum. Dicitur reſeruatiuus, quando is, qui doiminium etiam directum rei ſuæ transfert in aleum reſeruat ſibi penſionem aliquam ſiue in pecunia, ſiue in fructibus, vel alio æquiualenti ex re illa ſibi ſingulis annis reddendam.o Conſignatiuus verò dicitur, quando cert pretio emitur ius ad percipiendam penſionem annuam ex re, quę iam erat alterius, qui eam ſoluere debet. Porrò cenſus conſignatiuus diuiditur primo in cenſum realem perſonalem & mixtum. Relais eſt qui ſuper re aliquas conſtituitur, cui adhęret, & qua pereunte cẽſus perit. Perſonalis eſt, quo ſola perſona obligatur ad penſionem ſoluendam. Mixtus verò quando immediate & directe ſola perſona obligatur, ad ſecuritatem tamen obligantur res aliquæ debitoris, quibus pereuntibus adhuc perſona obligata manet, & appellatur cẽſus perſonalis cum hypotheca. His præmiſſis dubitarim, an cenſus, qui de facto conſtitui ſolent ſint mere reales, an verò. mixti? 238 *Nonnulla ſuppono.*

239 *Non ſunt mere reales ſed mixti.* Non ſunt merè reales ſed mixti? Quia deficiẽtibus etiã reb. cenſitis, in quibus cenſus conſtituuntur, manet obligatio perſonalis in venditore ad penſiones ſoluendas Sic Couar. *lib. tertio variar. cap.* 7 *numer. quinto & ſexto.* Sotus Salonius, Mercado, & alij plures, quos refert, ac ſequitur Salas *de ciſ. dubitatione* 33. *numero ſecund.*

240 *Non ſunt mixti, ſed mere reales.* Non ſunt mixti, ſed merè reales, niſi contrarium explicetur. Quia id quod eſt ex natura cõtractus, non eſt neceſſe quod explicetur: eſt autem de natura huius contractus, quod pereunte re, cui adhæret ſeruitus & obligatio ad penſionem, pereat protinus obligatio. Ita Molina *d.* 383. *n.* 8. Leſſius, Rebellus, Valent. Rodriguez, Vega, & alij plures apud Salas *citatum num.* 1.

241 *Ego diſtinguendum exiſtimo.* Diſtinguendum tamen exiſtimo. Nam vbi receptæ Pij V. & aliorum Pontificum Bullæ ſunt, non cenſentur conſtitui cenſus, niſi cum conditionibus ibi aſſignatis, quarum hæc eſt vna, vt pereunte re cenſita, cenſus pereat. Vbi autem Bullæ receptæ non ſunt, attento ſolo iure naturæ ex vſu & conſuetudine interpretanda eſt mens contrahentium. Nam attento iure naturę nõ regnat (ſaltem in probabili ſatis ſententia) cenſus mixtus, quo hypotheca detur

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tur ſolùm in ſubſidium,& ad ſecuritaré,ſi perſona non ſoluerit, quare poſſunt habere hanc mentem in ipſo contractu: vnde ſi ferat vſus, vt etiam pereuntibus hypothecis, cogatur debitor ad ſoluendum ex aliis bonis, iudicandum eſt, quod iuxta hanc conſuetudinem,& hac mente contraxere. Si autem de neutra conſuetudine conſtet colligendum eſt id ex verbis, nam ſi nomine hypothecæ vſi ſunt,hæc magis videtur dari ad ſecuritatem, & obligationem perſonalem ſupponere ſi verò ſolum dictum eſt, conſtitui, ac vendi cenſum ſuper tali rè domo vel fundo, &c. verba videntur ſignificare ſolum cenſum realem, quo ſolum vendi videtur ius ad percipiendam penſionem ex tali re, atque ideò re pereunte,peribit illud ius: ſicut perit ſeruitus realis, pereunte re, cui erat affixa.

## DVBIVM XLIII.

*Cum dubitatur, an aliquis cenſus ſit redimibilis, vel irredimibilis: præſumendumne eſt. eſſe redimibilis?*

242 *Quæſtionis ſtatus.*

CEnſus conſignatiuus rurſus diuiditur in cenſum redimibilem,quem venditor redimere poteſt, reddito pretio accepto, & in irredimibilem,(qui appellari etiam ſolet perpetuus) in quo venditor non habet facultatem illum redimendi niſi ex conſenſu emptoris. Quæſtio itaque eſt, an in dubio præſumendus eſt cenſus redimibilis,vel irredimibilis?

243 *Præſumendus eſt irredimibilis.*

Præſumendus irredimibilis eſt. Quia pactum de retrouendendo non præſumitur in venditione, niſi probetur. *leg. ſecund. Codic. de pactis inter empt. & vendit.* Sic Couarruuias *l. 3. var. capite decim. numer.* 4. Anton. Gomez *tr. de cenſ. cap. 5. n. 1.*

244 *Non preſumendus irredimibilis.*

Præſumendus eſt redimibilis, non irredimibilis, Quia irredimibilitas in cenſu eſt odioſa, & ideo præſumi non debet, niſi probetur. Ita Binsfeldius, & Molinæus, quos affert, ac ſequitur Salas. *dub. 35. n. 4.*

245 *Reſolutio Auctoris.*

Ego quidem exiſtimo,ad circumſtantias eſſe attendendum,vt qualis fuerit mens contrahentium,colligatur. Quare ex ipſo pretio colligi poteſt,cum ſit multo minus pretium cenſus redimibilis, quam irredimibilis. Ex conſuetudine etiam,ſi enim ferè non ſint in vſu cenſus irredimibiles,non præſumetur talis, niſi fuerit explicatum. Denique ſi omnibus penſatis, adhuc res maneat dubia,magis placet prima ſententia, quod irredimibilis præſumatur. Quia cum conſtet de venditione,& non conſtet de pacto retrouendendi appoſito, venditio præſumitur abſoluta à tali pacto.

## DVBIVM XLIV.

*An cenſus redimibilis pertineat, ad immobilia bona, ſi ſit ad modicum tempus?*

246 *Status quæſtionis.*

DE cenſu irredimibili certum eſt ad bona immobilia pertinere; quia eſt ius perpetuum percipiendi fructus ex re aliqua immobili. Nec difficultas eſt de ipſis penſionibus, quæ ex cenſu accipiuntur; hę enim ſiue ex redimibili,ſiue ex irredimibili, accipiãtur, non ſunt bona immobilia,ſed mobilia, ſicut & fructus ipſi, qui ex fundo percipiuntur De cenſu ergò redimibili quæſierim, num ad bona immobilia pertineat?

247 *Pertinet ad immobilia.*

Pertinet. Quia id habetur expreſſe in *Clement. Exiui,§. cumque annui redditus, de verbor. ſignific.* vbi de fratribus Minoribus ſic declarat Pontifex: *Cumque annui redditus inter immobilia cẽſeãtur à iure, ac huiuſmodi redditus obtinere paupertati repugnet, nulla dubitatio eſt, quod prædictis fratrib. reditus quoſcũque ſicut & poſſeſſiones, vel earum etiam vſum, cũ eis non reperiatur conceſſus, recipere, vel habere, conditione conſiderata ipſorum, non licet.* Quare vniuerſaliter cenſus inter immobilia à pluribus Doctoribus computatur. Sic Molina *d. 383. n.* 10. Bartol. Socinus, Rodriguez, quos affert Sanchez. *l. 7. decal. cap. 26. n. 35.* aſſerentes, redditus etiam ad modicum tempus propter dicta Clementinæ verba fratribus Minoribus repugnare.

248 *Ad immobilia non pertinet.*

Non pertinet. Quia ſicut locatio rei immobilis ad modicum tempus non æquiualet alienationi,& ideo non prohibita eſt alienatio, ita emptio iuris ad fructus vel redditus ex re aliqua per modicum tempus non æquipollet poſſeſſioni rei immobilis. Ita Tiraquel. Molinæus, & alij, quos affert,& ſequitur Salas *dub. 44.* & alij plurimi, quos ſequitur Sanch. *vbi ſup. n. 36.* aſſerentes redditus ad modicum tempus non comprehendi in dictæ Clement. verbis nec fratribus Minoribus repugnare.

249 *Idẽ aſſero.*

Idem affirmo. Itaque cenſus ſeu redditus ad longum tempus inter bona immobilia cenſetur, ſecus verò ſi ad modicum tempus ſit Addo ex ex Andr. Gail. *libro ſecundo pract. obſeru. obſeru.* 10. in queiſdam Germaniæ ciuitatibus ſtatuto receptum eſſe, vt cenſus redimibiles, inter mobilia computentur. Hoc tamen non tollit, quod de iure communi aliter ſit dicendum. Modicum autem tempus eſſe crediderim, quod eſt infra decennium, longum verò tempus, quod decennium excedit. Salas *dubitation.* 44.

## DVBIVM XLV.

*Attento ſolo iure naturæ licitumne eſt, cenſum realem emere, aut vendere?*

250 *Non eſt licitum.* NOn eſt licitum Quia malitia vſuræ in eo conſiſtit, quod vendatur pecunia præſens pro maiori pecunia futura, & per conſequens pro pretio ſupra proprium valorem cum pecunia, quæ redditur plus valeat, quàm quæ accipitur. Ex quo ſequitur, quod emptio cenſus, cuius penſiones ſoluendæ ſuperant pretium, quo emitur, ſit vſuraria, vel certe contta iuſtitiam. Nam in hoc contractu interuenire videtur mutuū formale, vel virtuale, ex quo aliquid ſupra ſortem accipitur; dare enim nunc centum, vt tibi reddantur quinque annis ſingulis, nihil videtur eſſe aliud, quam mutuare nunc centum ſoluenda tibi per partes ita vt viginti annis omnia reddantur, & poſtea accipias lucrum perpetuum ex mutuo præcedenti, nempè alia quinque ſingulis annis. Sic Locutus de cenſu nouo Henricus *quodlib. 8. quæſtione* 23. & alij, quos refert Salas *dub. ſecund. de cenſ. num. ſecundo* qui tamen idem de cenſu antiquo per venditionem affirmare tenentur.

251 *Licitum eſt.* Licitum eſt, cenſus inire contractum. Quia quod ad reſeruatiuum attinet, certum eſt, licitū eſſe, cū quilibet poſſit ex re, cuius dominiū gerit, ſibi partē iuris, quā liceat reſeruare. Nec eſt difficultas de cēſu reali fructuario, quo emptor emit ſibi partem fructuum alieni prædij; nam ſicut poſſet totum prædium emere, & ius ad omnes eius fructus; & ſicut poſſet vſumfructum emere manente dominio directo penes venditorem, ſic poterit partem eiuſdem vſusfructus emere. Cenſum denique pecuniarium conſtat licitum ex Pontificum Bullis, in quibus de his potiſſimùm cenſibus loquuti fuere, & ratio etiam videtur clara, quia ſi poteſt emi cenſus fructuarius, & ius ad tantam fructuum, partem percipiendam; poterit poſtea fieri alius contractus permutationis, quo debitor commutet obligationem reddendi tales fructus, in obligationem reddendi tantam pecuniam annuam facta prudenti valoris æſtimatione. Quod autem per duos contractus poteſt fieri, poteſt etiam fieri per vnicum, quod duobus æquiualeat. Ità Theologi omnes & ſequuntur Molina *d.* 385. Leſſius *lib. ſecundo capit. 22. dub. primo.* Salas *de cenſ. dubio ſecund.*

252 *Primam ſententiam omnino reiicio.* Hoc vnicè verum, ideoque primam ſententiam omninò reiiciendam exiſtimo. Neque enim Martinus V. Calixtus III. Nicolaus V. & Pius V. cenſum, conditionibus licet appoſitis, approbarent, ſi contra ius naturæ, & iniuſtum eſſe ſuſpicarentur.

## DVBIVM XLVI.

*Cenſus merè perſonalis, cuius pretium non adæquat cumulum, licitène emitur de iure naturæ, quando lucrum ceſſans vel periculum aut ſimile quid non intercedit?*

EMitur licitè. Quia cenſus realis licitè emitur minori pretio, quam ſit ſoluendarum penſionum cumulus: ergo & perſonalis licitè emi poterit; quod enim obligetur res, vel ſola perſona, parum refert; imo minus videtur valere obligatio perſonalis, quæ minus eſt ſecura, quam realis, cum facilius deficere poſſit perſona quam prædium, quod in cenſu reali obligatur. Sic Ioan. Medin. Conrad. Sot. Couar. Maior, & Gabr. quos affert Mol. *d.* 387. *n.* 1. Saloni Aragon. Bannes, Tolet. Valent. Leſſi. & alij quamplures, quos refert ac ſequitur Salas *de cenſ. dub. 3. numer.* 2. Qui vniuerſaliter id admittunt etiam in cenſu perſonali perpetuo, cuius obligatio ad hæredes venditoris, & eius dominium ad hæredes emptoris tranſit. — 253 *Licitè emitur.*

254 *Non emitur licitè.* Non emitur licitè, quia in eiuſmodi cenſu perſonali nihil aliud venditur aut traditur, niſi penſiones ipſæ ſoluendæ: ſicut ergo non poteſt licitè pro centum, quæ nunc dantur aliquis emere ducenta poſtea per partes, ac ſucceſſiuè reddenda, ſecluſo lucro ceſſante damno, vel periculo, &c. ita non poterit, emi cenſus, in quo eiuſmodi pēſiones ſoluendæ emuntur. Porrò tunc emi penſiones ipſas ſoluendas conſtat; quia qui ſe obligat perſonaliter ad aliquid dandum pro pretio, quod nunc accipit, non poteſt vendere ſolum ius ad rem illam, quin ſimul vendat rem ipſam dandam: alioquin quando venditur triticum poſtea tradendum pro pretio præſenti, non venderetur triticum, ſed ius ad illud; & quando mutuatarius ſe obligat ad reddendum, non verò ipſa pecunia reddenda; quo pacto palliari poſſent omnes vſuræ, & emptiones iniuſtæ. Illa ergò res, ad quam dandam ſe ſe obligat venditor, eſt, quæ in omni rigore venditur, atque adeò pro mille præſentibus venderentur penſiones ſoluendæ, quæ eo tempore, quo ſoluentur, duo millia valebunt, quod ſine iniuſtitia fieri non poteſt. Ita Nauar. Greg. Lopez, Aluar. Velaſco, Lazarte, & Gutier. quos refert, ac ſequitur Mol. *citat n.* 4. Ludou. Lopez, Vega, Angel. Manu. Rebel. Miranda Sarmien. & alij innumeri, quos congerit Salas *dub.* 3.

255 *Hoc mihi verius quod confirmo, & explico.* Hanc veriorem reor eſſe ſententiam, quam confirmans expono. Quia non poteſt aliquis tibi licitè mutua dare centum eo pacto, vt poſt triginta annos eadem reddas, & interim ſoluas duo annua non computanda in ſorte: hoc autem idem fit, obligando te ad ſoluendum penſionem annuam non computandam in ſortem, ſed debito integro ſemper perſeuerante. Certe in cenſu reali aliquid emitur præſens diſtinctum à penſionibus, ſeu fructibus colligendis, nempe prædium ipſum ſaltem quoad dominium vtile, & ius vſusfructus partialis, cuius dominij valor ſufficienter tali pretio ſoluitur. In cenſu autem perſonali nihil venditur præſens, ſed ſolæ penſiones ſoluendæ,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

uendæ, quarum valor æſtimari debet non pro hoc tempore, quo venduntur, ſed pro tempore, quo tradentur, ſicuti, & res aliæ venditæ debent æſtimari.

## DVBIVM XLVII.

*An cenſus perſonalis temporalis licitus ſit?*

256 *Nonnulla recolo.* Recolo, cenſum temporalem eum dici, in quo penſiones annuę debentur non in perpetuum, ſed ad aliquod tempus finitum, ſiue certum ſit, vt ad decem, vel viginti annos, ſiue ſit incertum, vt ad vitam emptoris, vel venditoris. Differendum autem eſt de cenſu attento iure naturæ, & ſecluſa prohibitione humana, vel perſonali. Et quidem de reali temporali certum eſt licitum eſſe, quando vel cumulus penſionum non excedit pretium, vel quando propter periculum ſolutionum recipiendarum, vel propter lucrum ceſſans, vel damnum emergens, &c. pretium decreſcit ad prudentis arbitrium. Quæſierim iam num cenſus perſonalis temporarius licitè abſque aliquo ex his titulis emi poſſit?

257 *Licite poteſt emi.* Licite poteſt emi ſaltem quando non ad paucos ſed ad plures annos emitur. Quia tunc non ſubeſt periculum, quod redditur capitale ſuperent, vnde ab omni vſuræ ſuſpicione huiuſmodi emptio ſit immunis. Sic Conrad. Couar. Nauar. Salon. Ant. Bañes, Medina, Palat. Valent. Lud. Lopez, & alij, quos refert, ac ſequitur Salas *de cenſ. dub.* 4. *n.* 2. *&* 4. Leſſius *libro ſecund. capit.* 22. *dub.* 6. *numer.* 42. *&* 43.

258 *Minime poteſt licite emi.* Per ſe loquendo id minime licet, niſi aliquo titulo *numer.* 256. indicato iuſtificetur. Quia ſi cenſus perſonalis temporalis liceret, omnis prorſus vſura poſſet excuſari, ſcilicet, non dando mutuo pecuniam, ſed ad cenſum perſonalem pro aliquibus annis, quibus lucrum reddendum eſſet maius quidem toto capitali. Et quia in cenſu illo perſonali nihil aliud emitur, niſi ius ad penſiones, quod vendi non poteſt à debitore, quin ſimul vendat ipſaſmet penſiones, quare emitur centum aureis id, quod tempore ſolutionis valebit 200. quod eſt contrà iuſtitiam emptionis. Ita Mol. *d.* 386. Sot. Gabr. Tol. Abbas & alij, quos affert Salas *vbi ſup. n.* 1. & Reb. *de iuſt. p.* 2. *l.* 10. *quæſt.* 4. Card. de Lugo *tomo* 2. *de iuſt. d.* 27. *n.* 34.

259 *Verius hoc mihi.* Hanc ſententiam veriorem eſſe iudico. Quia non licet nunc dare centum, vt poſt viginti annos des mihi ducenta, idem autem fit in prædicto cenſu, cum pro centum præſentibus emo à te decem annua ſoluenda per annos viginti. Quod enim ſolutiones plures ſint, vel vna ſola in fine temporis præfixi, parum refert imo minus grauatur debitor, ſi totius ſummę ſolutio per viginti annos differatur.

## DVBIVM LXVIII.

*An licitus ſit cenſus temporalis ad indeterminatum tempus, & incertum, ſcilicet ad vitam emptoris, qui cenſus dicitur Vitalitius?*

Licitus non eſt. Quia cum vitæ longitudo incerta ſit, poteſt poſtmodum penſionum cumulus pretium ab emptore ſolutum excedere, quod equidem ſapit vſuram. Sic Henricus *quodlib.* 1. *q.* 39. *& quodlib.* 2. *q.* 15. Raymund. Gofred. Antonin. citati à P. Salas *de cenſ. dub.* 5. *nu.* 1. Et de eius iuſtitia dubitat Sarmiento *l.* 7. *ſelectar. cap.* 1. *numer.* 29. 260 *Non eſt licitus.*

Licitus eſt de iure naturæ, ſi iuſtitia pretij ſeruetur, etiamſi poſtea cumulus penſionum pretium ab emptore ſolutum excedat. Et quidem in cenſu reali patet. Quia cum in eo non emantur penſiones ſoluendæ, ſed dominium vtile, & vſusfructus partialis, ſicut hic vendi poteſt in perpetuum, ſic poteſt minori pretio vendi ad tẽpus incertum. In cenſu autẽ perſonali probatur. Quia licet in eo vendi videantur penſiones ſoluendæ, & ideo non poſſint minori pretio vendi, niſi propter lucrum ceſſans dãnum emergens, &c. quando tamen emitur hic cenſus ad tempus incertum, contractus hic eſt fortunę expoſitus, ſicut ludus, in quo lucro & iacturæ vterque exponitur. Ita D. Tho. *opuſc.* 73. *p.* 1. *c.* 9. Richard. Conrad. Ioan. Med. Sot. Couar. Val. Salon. & alij innumeri, quos affert Salas *vbi ſup.* Mol. *d.* 388. Lugo *tom.* 2. *de iuſt. d.* 27. *n.* 37. Leſ. *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 6. & alij. 261 *Licitus eſt.*

Communis Doctorum ſententia licitum huiuſmodi cenſum eſſe affirmat. Nam quod penſiones ſuperent poſtea pretium ſolutum, id emptoris fortunæ imputandum, qui potuit etiam pauciores penſiones recipere, & hinc periculo ſe expoſuit. At ſi obijciant primæ ſententiæ Auctores, contractum hunc exhibere occaſionem deſiderandi, & procurandi mortem alterius, vt obligatio ſoluendæ penſionis terminetur, reſpondeo, hoc non eſſe contractus vitium, ſed contrahentium, propter quod non redditur contractus illicitus, ſicut nec hæredis inſtitutio, vel fideicommiſſi, aut ſucceſſio neceſſaria filiorum, aut Eccleſiaſtica penſio, & alia eiuſmodi, licet hæredes inſtituti, vel ſubſtituti, aut filij, vel ſoluens penſionem occaſionem optandi mortem teſtatoris, vel fideicommiſſarij, &c. 262 *Idem affirmo.*

⁂

DVBIVM

## DVBIVM XLIX.

*Quando ab initio constituti censſus nullum pactum præceſſit circa pretium redemptionis, ſed ſolum constitutus fuit cenſus redimibilis, quem venditor poſſet eodem pretio redimere, poteſtne poſtea emptor ipſe ſicut quilibet alius redimere cenſum minori pretio, eo quod ex variis accidentibus diminutus ſit?*

163 *Nonnulla premitto ad quæſtionis ſtatum.* SI loquamur de iure naturæ certum eſt, ſi cenſus ſemel conſtitutus decreſcat intrinſece in valore propter defectum ſecuritatis hypothecæ, vel difficultatem exigendi penſioſiones, vel aliam variationem, poſſe ab alio emi minori pretio, quam fuerit conſtitutus. Quia ſicut res aliæ ſemel vno pretio emptæ, poſſunt poſtea minori emi propter earum valorem variatum, ſic poterit & cenſus. Difficultas eſſe poſſet, an non ſolus alius tertius, ſed etiam ipſemet debitor, qui cenſum vendidit, poſſet tunc ob diminutum cenſus valorem eum minori pretio redimere, conſentiente creditore. Et quidem, loquendo de eodem iure naturæ non video, cur non poſſent contrahentes ab initio paciſci, quod cenſus redimendus eſſet non pretio prius dato, ſed pretio currenti. Quæſierim vero, an quando tale pactum non præceſſit, ſed ſolum conſtitutus fuit cenſus redimibilis, quē empor poſſet eodem pretio redimere, poſſet poſtea idem venditor, ſicut quilibet alius redimere, ſeu emere à creditore cenſum minori pretio, eo quod venditor cenſus ex varijs accidentibus ſit diminutus, vnde cenſus valor decreuit?

264 *Non poteſt.* Minime poteſt. Quia id eſſet contra pactum expreſſum, quod vtrinque præceſſit, quo emptor ſe obligauit ad retrouenditionem ea lege, vt quoties redimendus eſset cenſus, pretium integrum eſſet reddendum, ſiue cenſus plus, ſiue minus tunc valeret. Vnde etiamſi iam cenſus ille pluris æſtimaretur, non poſſet emptor plus exigere à venditore volente illum redimere. Ergo vt æqualitas ſeruetur, venditor debet pretium integrum dare, etiamſi cenſus valor decreuerit. Sic Sanch *l. 1. conſil. c. 7. dub.* 20. citans Henriquez, & alios Doctores recentiores ab eo conſultos.

265 *Poteſt quidem.* Poteſt equidem. Quia licet vera prima ſententia ſit, quando cenſus valor decreuit ob culpam ipſius debitoris, & ob difficultatem, quia ab ipſo penſiones recipiuntur, eo quod ſua authoritate difficilem reddit exactionem (tunc enim obligatur potius debitor ad agendum, nè ſua culpa cenſus minus valeat) quando tamen ſine debitoris culpa, ſed propter caſus fortuitos, & alia extrinſeca accidentia valor cenſus decreuiſſet, ſicut alij, ſic etiam ipſe debitor poteſt, conſentiente creditore, cenſum minori pretio redimere attento ſaltem ſolo iure naturæ. Ita Cardinal. de Lugo *tomo ſecund. de iuſtit. diſputation. 27. numero* 47.



Sapientiſſimo adhæreo Doctori. Quia ſicut ex communi ſententia poteſt debitor ipſe, ſicut, & alij redimere, ſeu emere debitum ſuum minori pretio à creditore, quando difficultas vel minor valor debiti non prouenit ex debitoris culpa, ſed ex aliis cauſis extrinſecis: haud aliter dicendū iudico in emptione cenſus, qui ex aliis etiam accidentibus, & non ex debitoris culpa minus valet. 266 *de affirmo.*

## DVBIVM L.

*An loquendo de iure poſitiuo illicita ſit ſecunda minori pretio, cenſus redimibilis venditio.*

ILlicita eſt. Quia leges ſęculares ſtatuentes pretium cenſuum redimibilium, generaliter loquuntur: quare non ſolum de prima conſtitutione cenſus, ſed etiam de ſecunda, & tertia venditione profantur: ſicut lex ſtatuens pretium tritici, vel aliarum mercium, non intelligitur ſolum, quando primo venduntur, ſed etiam quando ſecundo & tertio iterum vendūtur ab iis, qui emerunt. Imo leges Hiſpanæ iubent cenſus antea alio minori pretio eos reduci ad illud legis pretium, vnde à fortiori prohibent, ne cenſus pretio legis conſtituti emantur poſtea pretio minori. Et quia lex Canonica in Bulla Pij V. expreſſe ſtatuit, quod eadem lex conditiones in ea præſcriptæ locum habeant in cēſibus quibuſcumque poſt illam legem creandis, quocumque tempore poſtmodum alienentur; vna autem ex conditionibus ibi appoſitis eſt, vt pretium cenſus ſemel conſtitutum nūquam ob temporum aut contrahentium quantitatem aut aliud accidens, neque quoad vltimo contrahentes minui poſſit, vel augeri. Sic Gut. multos referens, quos ſequitur Molina *d.* 393. *numer.* 3. Leſſius *l. ſecund. c.* 22. *dubio ſeptima numero.* 45. Nauarra. Mercadus Corduba, Medina, Ludouicus, Lopez, Azeuedo, & alij plures, quos refert Sanch. *l.* 1. *conſil. cap.* 7. *dub.* 19. 267 *Illicita eſt.*

Nō eſt illicita. Quia vbi diminutio pretij cōſentiēte creditore agitur, videtur per epiikeiam lex Canonica conſentire. Ita Nau. *ſum. c.* 28. *in addit. ad c.* 33. *n.* 82. (quē à cōtradictione liberare Salas conatur. *dub.* 12. *n.* 9. eo quod in Manuali *c.* 23. *n.* 91. vbi contrarium docuerat, loquatur (ſecluſa Pij V Bulla) Sarmien. Olan. Salazar, Cenedo & alij apud Salas, Palat. & alij quos affert, & ſequitur Sanch. *vbi ſup.* 268 *Non eſt illicita.*

Profecto epiikeię ratio qua ſecundæ ſententiæ Doctores Canonicarum interpretationem benignam difficile poteſt Bullæ Pij V. applicari qui expreſſe prohibet diminutionem pretij etiam ob temporum, vel contrahentium, qualitatem, vel aliud accidens; quare epiikeia illa locum habere poſſit in aliis legibus, loquendo tamen de Bulla Pij V. alia indigebit explicatione certè communiori violentia explicabitur, ſi dicamus, Pium loquutum fuiſſe ſolùm de primis 269 *Auctoris iudicium.*

contrahentibus, & eorum ſucceſſoribus, quos appellat fortaſſe vltimo contrahentes, & inter quos ſeruari ſemper vult pretium ſemel conſtitutum inuariabile quoad exceſſum, vel diminutionem, in quo ſenſu verba illa intelligunt Leſſius, & Rebel. quos affert, ac ſequitur Salas *vbi ſup. concl. 6*. Ego quidem aſſero, diſtinguendum eſſe inter cenſum liquidum, & tutum, & inter cenſum, qui propter varia accidentia minus iam valet. De priori abnego, de poſteriori concedo poſſe poſtea minori pretio emi. Et hanc eſſe Romanæ Curiæ praxim Cardin. de Lugo *tom. ſecund. de iuſt. d. 27. n. 50. teſtatur.*

## DVBIVM LI.

*Fructus ex cenſu minori pretio empti debentne reſtitui?*

270 *Status quæſtionis.* CIrca pretium cenſus iuſtum quæſtionem expono, an quando cenſus emptus fuit à principio minori pretio, quam lege, vel æſtimatione prudenti valeret, ſufficiat poſtea, quod emptor ſoluat quantum minus dedit in pretio, ita vt pretium iuſtum adæquet, an vero debeat etiam reſtituere penſiones receptas, ſaltem quatenus excedebat pretium pro cenſu ſolutum?

271 *Reſtitui debent.* Loquendo etiam de naturali iure reſtituendę ſunt penſiones ſecundum exceſſum ſupra pretij accepti proportionem. Quia cenſus non poteſt, etiam ſtando in iure naturę, emi pecunia credita, ſed præſenti, cum ergo tertia pars pretij iuſti (v. g.) in caſu noſtro non fuerit ab initio ſoluta, ſed poſtea ſuppleatur, conſequens eſt, vt cenſus quoad illam partem non fuerit emptus, atque ideo penſiones quoad illam partem retineri non poſſunt, tanquam ſine vllo titulo ſolutæ. Sic Salas *de cenſib. dub. 8. num. 4*. Mol. *d.* 390. Couarr. Bald. Gaſp. Roderic. Molinæus, Ant. Gomez. Eman. à Caſtro, Alcozer, quos affert, ac ſequitur *ibi* Salas.

272 *Reſtitui non debēt.* Reſtitui non debet exceſſus penſionum acceptarum, loquendo ſaltem de iure naturæ, ſed ſufficit, ſi emptor augeat pretium, ſoluendo quod defuit, & reſarciendo damnum emergens, vel lucrum ceſſans, ſi quod fuit. Quia regula hæc quę vera ac generalis eſt ad alias emptiones, & venditiones, non eſt cur non debeat in cenſus emptione ſeruari, cum in inſtitutione cenſus realis vera emptio intercedat, qua certo pretio emitur pars vtilis dominij, & vſusfructus rei fructuoſæ, & immobilis, in qua cenſus conſtituitur. Ita Leſſius *libro ſecundo capit. 22. dub.* 15 Ioan. Medin. & alij apud Salas. Lugo *tomo ſecundo de iuſt. d. 27. numero 54.*

273 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia quando prędium pretio diminuto emitur, emptor ſatisfacit ſoluendo defectum pretij iuſti, nec tenetur reſtituere fructus interim perceptos, cum illos ex re ſua perceperit, cuius dominium per emptionem acquiſiuit: Ergò idem debet dici de penſionibus cenſuum, cum hæ ſoluantur pro parte fructuum qui ad emptorem pertinebant, eo quod eſſet iam factus dominus dominio vtili illius prędij v.g in quo cenſus fuerat conſtitutus. Cur enim magis faciet fructus omnes ſuos qui emit dominium directum & plenum prædij pretio diminuto, quàm qui emit dominium ſolum vtile ac partiale, cum vtrique re debeat fructificare?

## DVBIVM LII.

*An peccet lethaliter emptor qui in modico pretium iuſtum cenſus defraudauit?*

LEthaliter peccat. Quia licet materia ſit in ſe leuis, damnum tamē longo tempore illatū magnum erit: nam exceſſus penſionum correſpondens longo tempore illi defectui pretij magnum cumulum. faciet. Sic Anton. Gomez. Emanuel Rodriguez Caſtro, Alcozer apud Salas *de empt. dub. 23. n. 5.* 274 *Cum his opinor.*

Non peccat lethaliter. Quia penſiones non emūtur, ſed dominiū vtile, ſeu vſusfructus partialis in re hypothecata; quod autem in eius emptione deficiam modicum v. gr. in tribus Regalibus à pretio iuſto, non poſſum grauis piaculi eſſe reus; ſicut nec quandò, quis emit dominium directum plenum predij, grauiter delinquit ſi in tribus aut quatuor Regalibus à pretio iuſto deficiat, etiamſi poſtea fructus recipiat in perpetuum ex prædio, etiam illos, qui poterant hiſce Regalibus correſpondere qui è pretio defuere. Ita Salas *ibid.* Lugo *tom. 2. de iuſt. d. 27. num. 57.* 275 *Lethaliter peccat.*

Hoc verius eſſe crediderim. Neque enim attendi debet ad emolumentum, quo poſtea ſequetur, ſed ad valorem rei quam emiſti, cuius quidem valorem ſoluiſti iuſtè quantum ſufficit ad grauem iniuſtitiam vitandam; nec læſiſti venditorem niſi in trium Regalium illorum carentia, quæ non poteſt graue detrimentum afferre. Vnde poſtea emptor tenebitur quidem ſub veniali ad illos Regales reſtituendum, non tamen ad reſtituendas perceptas pēſiones quatenus illis Regalibus correſpondere poterant. 276 *Non peccat lethaliter.*

## DVBIVM LIII.

*Bulla Pij V. circa conditiones aſſeruandas ad cenſus valorem, obligatne vbique?*

PRopter magnum vſuræ, ac iniuſtitiæ periculum ſummi Pontifices ad vitāda ſubditorum peccata multas conditiones explicarunt, quæ in cenſus contractu debent interuenire, præſertim Martinus V. anno 1423. Calixtus III. anno 1455. & Denique Pius V. in ſua Bulla edita anno 1569. Sed antequam ad eas deueniam, quæ per dubia diſcutiendæ ſunt, de illis omnibus generatim quæſierim, vtrum 277 *Nonnulla recolo.*

Bulla

Bulla Pij V. circa conditiones ad valorem cenſus aſſeruandas, vbique obliget?

278 *Vbique obligat* Obligat vbique. Quia in Sacra Romana Rota obſeruatur, vbi Iudices non admittunt exceptiones de non recepta, vel abrogata hac Bulla. Sic multi Doctores, quos referunt Molin. *d.* 395. & Salas *dub.* 13. & Comitol. *l.* 3. *q.* 27.

279 *Non obligat vbique* Non vbique obligat. Quia non eſt vbique acceptata ſaltem quoad omnes conditiones, vnde non obligabit, niſi vbi, & quatenus eſt recepta. Ita Leſſius *libro ſecundo cap.* 22. *dub.* 13. Molina *citat.* Sotus, Nauar. & alij, quos affert, ac ſequitur Salas *dub.* 7. Bonac. *d.* 3. *contr. q.* 4. *n.* 43.

280 *Auctoris reſolutio.* Quidquid autem de hoc ſit, exiſtimo, omnes debere in hoc conuenire, quod vbi prædicta Bulla ex conſenſu expreſſo vel interpretatiuo ſummi Pontificis non eſt recepta, vel quoad aliqua eſt per vſum contrarium legitime abrogata, non obligat niſi quoad conditiones iure naturæ requiſitas, vel quoad eas, quæ fuerint receptæ.

## DVBIVM LIV.

*An vnus cenſus poſſit ſuper alio vel aliis conſtitui?*

281 *Primam Pij V. conditionem expono.* PRima conditio à Pio V. præſcripta ad cenſus iuſtitiam hæc eſt. *Cenſum ſeu annuum reditum creari, conſtituiue non poſse niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & quæ de natura fructifera ſit, & quæ nominatim certis fructibus deſignata ſit.* Circa hanc conditionem dubitarim, an vnus cenſus poſſit ſuper alio, vel alijs conſtitui?

282 *Non poteſt* Non poteſt. Quia cenſus redimibilis inter bona immobilia non computantur. Aſt Pontifex requirit, vt non poſſit cenſus niſi in re immobili conſtitui. Ergo non poteſt ſuper alio conſtitui cenſu. Sic Molinæus, Ciſuentes, Aluarus Baez, Vega, & alij, quos affert Salas *dub.* 7. *n.* 2.

283 *Poteſt quidem.* Poteſt plane. Quia *Clement. Exiui, C cumque annus reditus, de verb. ſignif.* annui redditus inter bona immobilia computantur. Ita vterque Molina, Sà, Leſſius Rebel. Valent. Medin. & alij, quos affert, & ſequitur Salas *numero* 1. & 2.

284. *Vtramque ſententiam concilio.* Vtramque ſententiam ex Doctorum eorum mente lubet conciliare. In primis aſſero, poſſe conſtitui cenſum in alio cenſu irredimibili, qui merito inter bona immobilia computari debet: non vero in cenſu redimibili niſi venditor ſe obliget caſu, quo cenſus hypothecatus redimatur, ad emendum aliquid aliud immobile fructiferum, quod eodem modo maneat obligatum. Alioquin cum prior cenſus redimibilis poſſit extingui, & ipſo extincto perire debeat cenſus ſuper ipſo impoſitus, remaneret periculum palliandi vſuras, quod Pontifex vitare voluit. Deinde exiſtimo à fortiori conſtitui poſſe cenſum in Gabellis, vel alijs redditibus annuis perpetuis, quos ciuitas vel communitas habet, ſicut etiam in iure piſcationis in Sylua, & in Macello. In officijs etiam perpetuis fructiferis, non vero in debitis alijs perſonalibus, vel etiam realibus, quia hæc non ſunt bona immobilia, & perpetua, ſed mobilia. Lege Molinam *d.* 389.

## DVBIVM LV.

*Conditio hæc vt cenſus ſuper re immobili conſtituatur, requiſita poſitiuo iure, requiriturne etiam iure naturali, ad cenſus iuſtitiam?*

285 *Non requiritur.* NOn requiritur. Quia licitus eſt de iure naturæ cenſus perſonalis: Si autem poteſt collocari cenſus in ſola perſona venditoris, à fortiori poterit collocari in re aliqua mobili vel non fructifera, quâ tamen pereunte, cenſus non pereat, ſed maneat adhuc perſona obligata ad penſionum ſolutionem. Sic plures, qui affirmant cenſum perſonalem licitum de iure naturæ eſſe, quos refert, ac ſequitur Salas *de cenſ. dub. ſeptim. numer. quart. & ſexto.*

286 *Requiritur plane.* Conditio hæc de iure naturæ requiritur. Quia cum in hoc contractu cenſus realis ematur directè ac primario dominium vtile, ſeu vſusfructus ſaltem partialis rei cenſitę, conſequens eſt, vt ſi res ipſa fructifera non ſit, nihil prorſus ematur, quando eius vſusfructus emitur, ſed emptio ſit ficta, & cenſus ſit mere perſonalis, atque adeo palliata emptio penſionum ſolum ſoluendarum pro pretio præſenti. Ita Molina *diſputatione* 389. Nauarr. Philiarc. Vega, Ludouic. Lopez, & alij, quod affert Salas *vbi ſuprà* Lugo *tomo ſecund. de iuſt. d.* 27. *numer.* 65.

287 *Cum his ſentiens, nonnihil adiicio.* Cum his opinor. Adijcio tamen non ita requiri, loquendo de ſolo iure naturæ, perpetuitatem rei immobilis, vt non poſſet cenſus abſque ipſa iuſtificari. Potuiſſet enim aliquis bona fide emere vſumfructum cenſus, v. gr. redimibilis, quem poſſides, & ſubire hoc periculum, vt ſi cenſus prior redimeretur, vel extingueretur, periret cenſus poſterior ſuper ipſo conſtitutus. Ratione autem huius periculi pretium poſterioris cenſus poſset diminui, & ad contractum iuſtum fortunæ reduci.

## DVBIVM LVI.

*An licita ſit nunc clauſula generalis, qua poſt deſignatam certam rem, in qua cenſus conſtituatur, obligantur cætera bona præſentia, vel futura ad penſionum ſolutionem?*

288 *Non eſt licita.* LIcita non eſt. Quia Pontifex prohibet, ne cenſus niſi ſuper re certa, & ſuis finibus deſignata conſtituatur. At generalis illa bonorum obligatio nec eſt res certa, aut deſignata ſuis finibus. Sic Pizarro ad ſtatutum Guadalipenſe, quem affert Salas *de cenſ. dub.* 7. *n.* 11. & alij.

289 *Licita eſt* Licita eſt, ſi non intendatur conſtitui cenſus

ſuper alijs bonis, ſed ſolum ſuper rebus certis nominatis, cætera verò bona ſolum obligentur ad ſolutionis ſecuritatem, itavt non pereunte re nominata, vel ipſa euicta poſſit creditor ab alijs etiam bonis exigere ſuum debitum, quia hypothecata fuere ad ſecuritatem, pereunte tamē re nominata, non poſſit ab alijs bonis aliquid exigere. Quia hoc non eſt conſtituere cenſus in alijs bonis, quod ſolum Pius V. prohibuit, ſed dare maiorem ad ſolutionem debiti ſecuritatem, quamdiu res determinatè nominata non perit. Ita Matienzo, Salazar, & alij plures, quos affert, ac ſequitur Salas *citat.* Gutier. *l. 2. de pract. qq. q.* 177. Mol. *d.* 389. *n.* 5. Qui tamen ad ſuperfluam & inutilem fore clauſulam illam, & hypothecam in ordine ad penſionum ſolutionē.

290 *Exiſtimo, clauſulam illam licitam, & vtilem eſſe.*

Ego autem affirmo nec illicitam eſſe clauſulam hanc in cenſu, cum bona illa ei non ſubijciantur, vt ſecunda fert ſententia, nec inutilem ac ſuperfluam mei P. Molinæ venia. Quia etiam non pereunte re cenſui ſubiecta, deſeruire illa hypotheca poteſt ad penſionis ſoluendæ ſecuritatem, quando v. gr. res illa cenſui ſubiecta non haberet fructus eo anno, quo caſu adhuc debetur penſio ex cenſu, & creditor non vult rem illam diſtraxi, ne cenſus extinguatur, aut deterior fiat, ſed ſolum exigere huius anni penſionem ad quod poteſt agere contra alia bona hypothecata

## DVBIVM LVII.

*Conditio à Pio V, requiſita, quod res cenſui ſubiecta fructifera ſit ex natura ſua, requiriturne etiam ex iure naturæ?*

291 *Status quæſtionis.*

EX vi Bullæ requiritur atque ideo non ſufficit, quod ſit per accidens fructifera, vti ſi ſit pecunia negotiationi expoſita, ſed debet eſſe ex natura ſua fructifera. Quæſierim vero, num etiam de naturæ iure hæc conditio requiratur.

292 *Non requiritur.*

Non requiritur. Quia licitus eſt de iure naturæ cenſus perſonalis, & per conſequens poteſt res infructifera obligari ad ſolutionem penſionis debitæ à perſona venditoris. Sic nonnulli Doctores, quos affert, ac ſequitur Salas *de cenſ. dub.* 7. *n.* 6. *&* 7.

293 *Requiritur quidem.*

Requiritur equidem. Quia ſi res cenſui ſubiecta non eſſet fructifera, venditio directa, ac primaria ficta eſſet, cum emeretur vſusfructus rei nullum habentis fructum, atque ideo cenſus maneret perſonalis, quem de iure naturæ illicitum eſſe iam vidimus. Ita Emanu. *de cenſ. condit.* 2. Ioan. Medina, Miranda, Greg. Lopez, Nau. Val. Philiarc. apud Salas *n.* 5. Mol. *d.* 389. *n.* 4. & alij,

294 *Idem affirmo.*

Idem affirmo vnde non ſolum rem fructiferam requiri patet, ſed & in ea quantitate debere habere fructus, vt adęquare valeant penſionem ſolnendam expenſis deductis, alioquin quoad defectum emptio eſſet ficta, & perſonalis cenſus, qui illicitus eſt naturæ iure.

## DVBIVM LVIII.

*An debeatur penſio etiam eo anno, quo res cenſui ſubiecta nullos fructus affert, vel in minori quantitate, quàm ad penſionis ſolutionem ſufficiat.*

NOn debetur. Quia in quarta Pij V. clauſula prohibentur *conditiones directè, vel indirectè obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non teneantur.* Quibus verbis non videtur eſſe ſermo de caſu fortuito circa ipſius rei ſubſtantiam, in qua cenſus eſt conſtitutus, hoc enim inferius diuerſa clauſula prohibetur, ne ergo hæc clauſula otioſa ac ſuperflua ſit, debet intelligi de caſu fortuito circa fructus eiuſdem rei, quibus caſu fortuito aliquo anno deficiētibus, noluit Pontifex obligari venditorem ad penſionem illius anni ſoluendam. Sic Mol. *d.* 390. *clauſ.* 4. *n.* 6. Leſ. *l.* 2. *c.* 22. *n.* 82. & probabile putat Reb. *l.* 10. *q.* 6. *condi.* 3. 295 *Non debetur.*

Debetur omninò. Quia ſenſus illius clauſulæ alius eſt, nimirum, ne adijciatur obligatio ad caſus fortuitos præter naturam contractus cenſualis. Negari autem poteſt pactū hoc eſſe præter naturam contractus cenſus pecuniarij, in hoc enim contractu interuenit primo emptio dominij vtilis, qua emitur pars aliqua fructuum talis fundi, quæ quidem ex vi huius primæ emptionis non deberetur, quo anno fundus nullos fructus affert, poſtea vero additur contractus alius ibi virtualiter contentus, quo debitum illud incertum ad certam reducitur quantitatem, ſiue fundus plures, ſiue pauciores fructus ferat, quæ reductio vtilis vtique eſt contrahenti ad lites vitandas: Denique hoc fructuum debitur reducitur ad debitum pecuniarium annuum certum, ac determinatum. Qui omnes contractus includuntur in cenſu reali pecuniario. Quare obligatio ad ſoluendam penſionem etiam in anno ſterilitatis non eſt contra, ſed iuxta naturam ipſam talis contractus cenſualis, nec grauat venditorem, cum vtile ei etiam ſit, quod in anno maioris vbertatis non ſoluat plus, ſed ſolùm illam penſionem annuam pecuniariam determinatam, quę iuſta æſtimatur, attento periculo ſterilitatis, & ſpe vbertatis maioris, quæ eſſe poteſt. Ita Ludouic. Lopez, Sotus, & Nauar. dicens, id communi praxi obſeruari, quos afferunt, & ſequuntur. Reb. *citat.* & Salas *dubit.* 10. *numero ſecundo* Valent. Sà, quos affert, & ſequitur idem Salas *dub.* 42. Lugo *tomo ſecundo de iuſt. diſputat.* 27. *numero* 72. 296 *Debetur omnino.*

Hanc ſententiam probabiliorem eſse exiſtimo, nec ex hac ſequitur clauſulam Pij V. ab Auctoribus contrariæ ſententiæ citatā eſse ſuperfluam, & contentam in alia clauſula ſequenti. Nam in illa alia non prohibentur pacta circa caſus fortuitos, ſed ſolum declaratur, id quod ex natura contractus cenſus realis conſequitur, quod ſcilicet pereunte re cenſita in toto, vel in parte perire etiam debeat cenſus realis 297 *Hanc ſententiam probabiliorem eſse reor.*

realis in totum, vel in partem pro rata. Quia verò poſſent contrahentes opponere pactum ad aſſecurandum cenſum etiam pereunte ex caſu fortuita re cenſita, qui contractus aſſecurationis diſtinctus, addito ſufficienti pretio non videtur ex natura rei illicitus, ideo Pontifex hac præcedenti clauſula voluit prohibere eiuſmodi pacta ad caſus fortuitos, ad quod alias ex natura contractus non eſſet obligatio, quæ prohibitio in illa clauſula ſequente nullo modo, vel ſaltem non clare contenta videretur.

---

## DVBIVM LIX.

*Ad implendam primam illam Bullæ Pij V. conditionem, debetne res ita eſſe fructifera, vt habeat fructus eiuſdem rationis cum his, qui pro penſione ſunt ſoluendi?*

198 *Non debet ita eſſe fructifera.*

VErb. grat. an ſuper vinea non poſſit conſtitui cenſus, qui reddat tot tritici modios, ſed ſolum tot dolia vini, & ſic de alijs? Ita debet eſſe fructifera, vt res debeat eos fructus ferre, qui pro penſione ſunt ſoluendi. Quia præſcribens Pontifex, rem ſuper qua cenſus eſt collocandus, debere eſſe fructiferam, indicat plane redditus ex fructibus rei illius eſſe ſoluendos. Sic aliqui, quos tacito nomine refert Molina *diſputatione* 389. *numero quarto.*

199 *Non debet ita eſſe fructifera.*

Non debet ita eſſe fructifera, vt res debeat eos fructus ferre, qui pro penſione ſoluendi ſunt. Quia cum lex illa exorbitans ſit, non debet magis ſtricte explicari, quam verba ipſa ſonent. Ita Molin. *numero quinto* Leſſius *libro ſecundo capite* 22. *dub. quinto* Rebell. & Sà, quos affert, & ſequitur Salas *dub.* 34. & alij.

300 *Hanc præ- p no ſententiam.*

Hæc ſententia communis fere omnium eſt. Et quidem explicatio illa tam ſtricta non erat ad intentum legis neceſſarium, quæ ſolum curabat excludere cenſus perſonales, vel periculum vſuræ habentes. Ad quod quidem parum refert, quod penſio in hoc vel illo fructuum genere æqualis valoris ſit ſoluenda. Et fortaſſe magis commodum erit venditori in alio genere ſoluere, quam in eo, quod ex re cenſui ſubiecta poteſt colligere.

---

## DVBIVM LX.

*An de iure naturæ licitus ſit cenſus, penſionéſque integræ debeantur, quando non emitur pecunia præſenti, ſed partim credita, ac poſtea ſoluenda?*

301 *Clauſulam Pij V. præmitto, & expono ſecundam.*

CLauſulam ſecundam Bullæ Pij V. recolo. *Rurſus non niſi vere in pecunia numerata, præſentibus teſtibus, ac notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius recepto integro iuſto pretio.* Voluit Pontifex fraudibus, ac iniuſtitijs occurrere, quæ in hoc contractu aſſolent reperiri, periculis etiam, & damnis vendentium, qui propter indigentiam præſentem cogebantur vendere cenſum, non accepta pecunia pro pretio, ſed mercibus, quibus non indigebant, & quas pretio ſummo à mercatore accipiebant: aliquando etiam non totum accipiebant pretium de pręſenti, ſed partem, reliqua pecunia poſtmodum ſibi ſoluenda, cum tamen penſio ex nunc currere inciperet. Aliquando etiam debitor non habens nunc ad ſoluendum cogebatur debitum ipſum computare in pretium cenſus, ex quo penſionem poſtea ſolueret. His omnibus voluit Pontifex radicitus obuiare incommodis, annullando cenſus, qui aliter crearentur, quam toto pretio in pecunia tunc numerata coram notario, ac teſtibus. Circa quam conditionem in primis requiſierim, an de iure naturæ licitus ſit cenſus & penſiones integræ debeantur, quando pecunia pręſenti non emitur; ſed partim credita; ac poſtea ſoluenda.

302 *Licitus non eſt huiuſmodi conſenſus.*

Licitus non eſt. Quia cenſualis contractus eſt introductus, vt præſentis pecuniæ ſubſidio pręſenti neceſſitati vendentis cenſum occurratur, quo ſine ceſſante, inutilis ac noxius erit talis contractus, & lumine naturæ apparet iniquum, quod quis cogatur reditus ſoluere eius pecuniæ quam nondum accepit. Sic Molina *diſputatione* 390. *numero primo*, quem immerito pro contraria ſententia Salas affert, *dub. octauo numero ſecundo*, Nau. Emanu. Reb. Salon. & alij quos affert, ac ſequitur idem Salas *ibi, n.* 1 *&* 3.

303 *Licitus eſt.*

Eſt licitus. Quia non videtur de iure naturę magis eſſe illicitum hoc in cenſu, quam in rebus alijs, quæ licet fructiferæ ſint, poſſunt emi pretio credito, & tamen ex tunc incipiunt emptori fructificare, poſtquam ei traditæ ſunt, vt conſtat ex §. *venditæ vero res, & traditæ. Inſtitut. de rer. diuiſ. & leg. Quod vendidi,* 19. *ff. de contrahen. empt.* Et quidem cenſus antea conſtitutus emi poteſt ab aliquo tertio pecunia partim credita, quare non apparet, cur in prima etiam conſtitutione id fieri non poſſit. Ita Sotus, Binsfeldius, & alij, quos affert Salas *numero ſecund.* qui probabilem eſſe fatetur hanc ſententiam, quam Cardinalis de Lugo tenet *tomo ſecund. de iuſt. diſputatione* 27. *numer.* 80.

304 *Sententiam hanc probabiliorem eſſe profiteor.*

Et ego probabiliorem eſſe profiteor. Quia non apparet ratio vlla differentiæ ſufficiẽs, cur de iure naturę poſſint res aliæ fructiferæ vendi, ac tradi emptori, eique fructificare, pretio nondum ſoluto, & cenſus realis non poſſit, pręſertim cum in ipſo directe, & primariò non vendantur penſiones, ſed vſusfructus ſaltem partialis rei, vel fundi, in quo cenſus conſtituitur?

***

## DVBIVM LXI.

*An ex iure naturæ poſſit emi cenſus ex mercibus, vel maſſa argenti pro pretio datis?*

305 *Non poteſt emi.* EMi non poteſt. Quia cenſus ſola venditione conſtitui poteſt, at vbi pecunia non interuenit, non erit venditio, ſed permutatio. Sic Felician. quem affert Salas *dub.* 8. *numero* 4.

306 *Emi poteſt* Poteſt emi, quando merces taxantur, & æſtimantur. Quia tunc non erit permutatio, ſed emptio ex mercium æſtimatione. Ita Gaſpar. Roderic. *l.* 1. *de reddit. q.* 12. *numer.* 3. Sarmiento *in ſelect. c.* 1. *n.* 39. Anton. Gomez *tr. de cenſ. a.* 3. *n.* 18.

307 *Auctoris reſolutio.* Communem ſequor ſententiam docentem attento ſolo iure naturæ id fieri poſſe, ſiue merces taxentur, & æſtimentur, ſiue non, vti aſſerunt Mol. *d.* 390. *n.* 2. Nauar. Ludou. Lopez Salon, & alij multi, quos congerit, ac ſequitur Salas *dub.* 8. *numero quinto*. Neque enim cenſus eſſentialiter alligatur ad contractum propriæ venditionis, ſed ſicut donatione, legato, ac dote, ſic etiam permutatione conſtitui poteſt. Quare etiam ſi merces non æſtimentur, aut taxentur, aptæ ſunt de ſe ad acquirendum cenſum, dummodo iuſtitiæ in reliquis obſeruetur æqualitas.

## DVBIVM LXII.

*Stante Pij V. Bulla, & ceſſante fraude validusne eſt cenſus ſine integro pretio numeratæ pecuniæ emptus.*

308 *Validus eſt* VAlidus eſt in vtroque foro. Quia lex fundatur in præſumptione fraudis, vnde ſi probetur omnis fraus defuiſſe, validus iudicabitur. Sic Salazar *de vſu, & conſuet. c.* 6. *n.* 45. Nauar. autem, Boninſignius, Leſ. & alij, quos affert Salas *dub.* 8. *n.* 10. Megala, Malder. Ioan. de la Cruz, Barthol. à S. Fauſto, & alij, quos affert, ac ſequitur Diana *to.* 1. *tr. de contr. reſ.* 44. affirmant, ceſſante fraude, & iniuſtitiæ periculo, validum eſſe talem cenſum in foro conſcientiæ, non in externo foro.

309 *Non eſt validus.* Stante Pij V. Bulla id in neutro foro valet, aut licet. Quia id ſtatuit clare Pontifex clauſula in illa, qua talem contractum omninò irritat, & nullo modo vult eſſe validos. Ita Mol. *d.* 390. Salon. Medi. Manuel, Reb. Ant. Gomez, Vega, & alij plures, quos refert, ac ſequitur Salas *vbi ſup. n.* 11.

310 *Hoc verius mihi.* Hoc verius eſſe reor. Nam lex illa eſt, ſicut lex ieiunij, cuius ratio licet in aliquo particulari deficiat non habente ieiunij neceſſitatem ad carnem refrenandam, manet tamen in communi. Et ſicut lex irritans matrimonium clandeſtinũ, in quo licet in caſu particulari ceſſarent pericula, manet tamen ratio, ac neceſſitas communis, cui non potuit ſufficienter occurri, niſi prohibendo, & irritando in omnibus caſibus, & ita intelligenda eſt Bulla circa cenſus propter ſimilem neceſſitatem vniuerſalem, cui alioquin non poterat ſufficienter occurri.

## DVBIVM XLIII.

*An ex iure naturali poſſit cenſus emi ex debito venditoris.*

PEtrus debet tibi mille aureos, quæritur, an poſſis eo debito emere ab ipſo cenſũ valentem aureos totidem, computando debitum illud pro pretio ſoluto, ſaluo ſcilicet iure vtroque? 311 *Status quæſtionis.*

312 *Emi non poteſt.* Non poteſt emi cẽſus. Quia præterquã quod videtur lædi Pij V. decretum cenſus ordinatur ad ſubueniendum neceſſitati debitoris ex pretio accepto, qui finis non obtinetur, ſi debitum ſolum precedens extinguatur. Sic Felician. Palac. Reb. & alij, quos affert Salas *dub.* 8. *n.* 5.

313. *Poteſt emi.* Poteſt quidem emi. Quia perinde eſt debiti extinctione emere cenſũ, ac ſi pecuniam debitam à debitore accepiſſes, & iterum dediſſes pro cenſu, & non minus valet debiti extinctio, quam tantundem pecuniæ venditori traditæ, Ita Mol. Salazar. Nauar. Leſ. Lopez, Vega, Salo. & alij, quos congerit, ac ſequitur Salas *ibidem* Lugo *to.* 2. *de iuſt. d.* 27. *n.* 84.

314 *Hanc ſententiam probabiliorem quidem amplector.* Hoc probabilius mihi. Poteſt enim hoc modo etiam ſubueniri neceſſitati venditoris, qui niſi cenſũ conſtitueret ex debito, cogeretur quærere cum graui incommodo pecuniam præſentem ad ſoluendum debitum contractum, quod ab eo exigitur. Verum loquendo de iure poſitiuo, & Pij V. Bulla ijdẽ Auctores, qui dicunt, in foro externo, vel ſaltẽ in foro conſcientię licere cẽſum mercibus emptum, idem aſſerunt de cenſu empto per debiti extinctionem precedentis. Atqui hoc negant (vt vidimus) negant etiam in hoc caſu ob eandem rationem. Quare mihi ſententia negatiua conſequenter eſt amplectenda.

## DVBIVM LXIV.

*An ſtante Pij V. Bulla, licitum ſit emere cenſum pecunia præſenti numerata, eo tamen pacto, vt venditor ſtatim ex illa pecunia ſoluat emptori debitum, quod ei antea debebat?*

315 *Licitum eſt* LIcitum eſt. Quia verè emptor ſolueret integrum cenſus pretium: pecunia numerata coram notario, & teſtibus, quod Bulla requirit. Quod vero ea lege ſoluat, vt inde debitum antiquum ei ſoluatur, nihil mali, aut fraudis continet. Sic Mol. *d.* 390. *n.* 2.

316 *Non eſt licitum.* Non eſt licitum. Quia quarta conditio à Pio requiſita eſt: *Ne vlla pacta indebita, aut conditiones adiungantur, quibus cenſuarius*

extra

*extrā naturam contractus obligetur.* Pactum autem illud ſoluendi debitum : eſt omnino extra naturam contractus cenſualis : & ſæpè obligaretur venditor ad id, ad quod nullatenus tenebatur, nempe ad præferendum, (v. gr.) emptorem aliis creditoribus, eique primo loco ſoluendum. Aliunde videtur eſſe contra Pontificis intentionem pactum illud, qui voluit totum pretium venditoris ſolui, ſoluere autem in rigore, eſt, pecuniam dare, & ponere in Dominio, ac poteſtate recipientis. Qui verò non aliter dat pecuniam venditori, niſi vt ad talem vſum eam expendat, & ſtatim debitum ſoluat, non ponit illam poteſtate, & pleno eius dominio, ſed cum limitatione, ac ligamine ad vnum ſolum vſum determinatum. Vnde non videtur eum plenè dominium pecuniæ efficere. Ita Cadin. de Lugo *parte ſecunda de iuſt. d. 27. numer.* 90. Fauet Salas *dub.* 19. aſſerés quartam illam Pontificis clauſulam ita vt refert prima ſententia, ſe habere.

317 *Auctoris placitum.* Ego quidem exiſtimo, clauſulam illam fideliter à Magiſtro meo Ioanne de Salas (eius venia) referri Nam Bulla non prohibet in vniuerſum omnia pacta, ſed illa, quæ obligant ad caſus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non teneatur. Vnde valde in P. Molinæ mentem inclinor, Sed vt etiam ſapientiſſimo Doctori, eminentiſſimo quæ Cardinali ſimul morem geram Ioanni de Lugo, facilius poſſet Molinæ ſententia locum habere, ſi non apponeretur tale pactum in ipſo cenſuali contractu, ſed antecedenter debitor ſe obligaret, ad ſoluendum creditori debitum, ſi poſtea idē creditor pecunia præſenti cenſum ab eo emeret: poſtea enim ſi creditor alio contractu ſeorſim, & omnino inde pendenti pretio præſenti cenſum ab eo emeret. Poſtea namque ſi creditor alio contractu ſeorſim, & omninò independenti pretio præſenti cenſum emeret, hoc ſecundo contractu vere poneres pretium in pleno dominio, & poteſtate venditoris, quantum ex vi illius contractus : licet ex pacto antecedenti debitor obligatus eſſet ad ſoluendū illi præcedens debitum.

---

### DVBIVM LXV.

*Iuxtà octauam Bullæ conditionem, quando prædium cenſui ſubiectum non perit, ſed diuiditur poſtea inter plures dominos : ſinguline tenentur, ad penſionem integram, ſi dominus cenſus ab eis exigat?*

318 *Octauam Bullæ clauſulam recolo.* Octauam Bullæ clauſulam præmitto. *Poſtremo cenſus in futurum creando, re in totum, vel in parte perempta, aut in fructifera parte effecta, volumus ad ratam perire.* Pereunte itaque in perpetuum fundo cēſito v. gr. perit omninò cenſus. Si verò vno, vel alio anno fructus ex eo non percipiantur, debetur penſio eo etiam anno, ſeu annis integra, quia ſterilitas perpetua non eſt. Et à fortiori debita penſio integra, etiam ſi pars prædij, quę his annis fructificat, non reddat fructus toti penſioni æquiualentes. Quando verò pars prædij facta eſt in perpetuum infructifera non debeatur penſio integra, etiamſi ex parte permanente fructus habeantur æquiualentes toti penſioni, imo & eam excedentes. Hæc & alia Molina *d. 391. numer. tertio.* Iam requiſierim, num quando prædium cenſui ſubjectum non perit, ſed diuiditur poſtea inter plures dominos, ſinguli teneantur ad integram penſionem, ſi dominus ab eis exigat? an verò ſolùm ad partem penſionis pro rata partis prædij, quam poſſident.

Ad integram tenentur penſionem, poteſtque creditor à ſingulis totum cenſum exigere. Quia conditio creditoris non debet fieri deterior ex hæredum multiplicatione : nec vllus vellet cum tanto grauamine cenſum emere. Sic Molina *d. 391. numero tertio* Leſſius *libro ſecundo capite 22. numero* 89. Nauarra *de vſur. n.* 114. 319 *Tenētur ad integram penſionem.*

Non tenetur ad integram, nec poteſt creditor à ſingulis totum cenſum exigere. Quia ſi pars quæ ex illo fundo de nouo venit ad Petrum non poſſit habere fructus ſufficientes ad ſoluendam integram penſionem cenſus, non apparet, quo titulo poſſit Petrus obligari ad eam integrè ſoluendam aut quomodo cenſus ille reſpectu Petri eſſet realis, vel ſaltem mixtus, cum res cenſui ſubiecta, quæ apud ipſum eſt, vel nunquam fuit, non ſit capax tantæ obligationis : & ex terminis ipſis manifeſtè apparet abſurdum, quod ſi emas particulam fundi magni, quæ valeat centum aureos, eo ipſo aſſumas tibi obligationem ſoluendi aureos mille annuos pro penſione cenſus, cui totus erat ſubiectus Ita Couarruuias *lib. tertio variarum capite* 8. *numero ſeptimo.* Manuel, Valaſcus, Rebellus quos refert, ac ſequitur Salas *dub. vndecim. numer. ſecund.* Lugo *tom. ſecund. de iuſt. d. 27. numer.* 106. 320 *Non tenētur.*

Hæc ſententia mihi magis arridet, quam hęredis exemplo confirmabo. Profecto ſi quis non ſit hęres vniuerſalis, ſed partialis cum aliis cohæredibus, non ſubit onera, & obligationes defuncti niſi iuxta partem hæreditatis, in qua ſuccedit; nec poteſt creditor defuncti à ſingulis hæredibus pro libito totum debitum exigere; qua cum parte hæreditatis non tranſit tota obligatio defuncti, ſed pars illius. Haud aliter, & à fortiori obligatio fundi, quæ non erat tota in ſingulis partibus, non poteſt integra tranſire cum vna ſola fundi parte ad eius emptorem, ſed ſolùm partem fundi, quam poſſidet. 321 *Hoc mihi magis arridet.*

---

### DVBIVM LXVI.

*An ſi res cenſui ſubiecta pereat, vel infructuoſa perpetuo fiat debitoris culpa creditor poſſit, & penſiones exigere, quandiu cenſus pretitas ei non reſtituitur?*

Poteſt quidem, cenſus quæ obligatio nullo ex capite perit. Quia licet Pontifex hāc exceptionem non explicuerit, clauſula tamen 322 *Poteſt quidem.*

octaua illa intelligenda videtur ſolùm de caſu, quo abſque creditoris culpa res deperit. Sic Medina *ſummæ capite* 14. §. 26. Salas *dub.* 11. *in fine,& dub.* 33. *num.* 8. Molina *d.* 394. *numer. tertio* dicit, teneri debitorem ad reddendum pretium cenſus, vel illum in re alia immobili conſtituendum.

323 *Non poteſt.* Minime poteſt, ſed cenſus omninò perit. Quia in fauorem debitoris clauſula Pontificia benignè eſt interpretanda. Creditor tamen habebit contra ſuum debitorem, ſicut haberet cõtra alium tertium, qui cauſam damni dediſſet, actionem doli quoad pretium cenſus, totumq; intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Ita Nauar. & Rodriguez quos refert, ac ſequitur Rebellus *p. ſecund. de oblig. iuſt. lib.* 10. *qu.* 6. *num.* 17.

324 *Diſtinctione vtor.* Ego autem cum Cardin. de Lugo diſtinctione vtor. Nam ſi cenſus erat irredimibilis, crediderim debitorem teneri vel cenſum in re alia cõmoda collocare, vel penſiones ſoluere, donec creditor habeat, in quo poſſit reſtitutum ſibi pretium conſtituere, vt Salas affirmat. Quia debet reſarcire damnum totum, quod ſua ex culpa creditori conſequitur. At ſi cenſus redimibilis erat, ſatisfaciet debitori reſtituendo pretium cenſus. Quia iure ſuo vtitur, cum etiam extante fundo cenſito potuiſſet, pretio reddito, cenſum extinguere. Quamdiu tamen cenſum non reddit ad ſoluendas pẽſiones tenebitur, quia alioquin ſua culpa cauſa fuiſſet, ne penſiones haberet toto illo tempore, provt habere debuiſſet, quandiu pretium non recipit. Monuerim tamen debere, eſſe grauem culpam ex parte debitoris, ſine qua tam grauis obligario oriri non poteſt.

## DVBIVM LXVII.

*An illicitum ſit de iure naturæ pactum, quod elapſo decennio verbi gratia, cenſus redimi vlterius non poſſit, vel quod non poſſit, niſi poſt decennium?*

325 *Nona Bullæ conditio.* VErba Bullæ expendo nonam conditionem ſtatuentia. *Volumus, cenſus omnes poſſe pro eodem pretio extingui, non obſtante longiſſimi etiam temporis, & immemoriabilis, imo & centum & plurium annorum præſcriptione, &c. Cum vero traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus, per bimeſtre ante eam denunciari ei, cui pretium dandum erit, &c.* In primis requiro, an ſecluſa Bulla, etiam de iure naturæ ſit illicitum pactum quòd elapſo decennio cenſus redimi, vlterius non poſſit, vel quod non poſſit, niſi poſt decennium?

326 *Eſt illicitum.* Illicitum eſt. Quia pactum illud valde eſt oneroſum venditori. Ideò in multis prætoriis pronunciatũ fuit, vt tales conditiones pro non appoſitis habeantur. Sic Couarruuias, Molinæus Anton. Gomez, & alij apud Salas *dubio* 12. *numer.* 2.

327 *Licitum eſt.* Eſt licitum. Quia de iure naturæ licitus eſt cenſus omninò irredimibilis; ergò à fortiori licitus erit cum aliqua irredimibilitate limitata quoad tempus, cum hęc minus auferat debitori facultatem redimendi. Et quia in emptione domus licita eſt talis irredimibilitas limitata, vt ex *cap.* 25. *Leuit.* patet ergò & in emptione cenſus Ita Conrad. Medin. & Sotus, quos affert, ac ſequitur Molina *d.* 391. *numer ſexto* Leſſius *libro ſecundo capite* 22. *dub.* 9. Gabriel, Palacius, Aragon. & alij, quos ſequitur Salas *citat. num. ſecund.* Lugo *tom. ſecund. de iuſtit. diſputat.* 27. *num.* 111.

328 *Reſolutio Auctoris.* Hæc ſententia communis, & vera eſt, ſi tamen pretij augmento iuſte eiuſmodi onera cõpenſentur, quo enim plus habent cenſus de irredimibilitate, eo plus valet, & ideò fortaſſe pacta illa à Iudicibus reprobata fuere, quia cenſus communi pretio empti fuerãt, quo alij cẽſus ſimpliciter redimibiles. Itaque pactum illud licet oneroſum ſit venditori, poteſt tamen addito pretio compenſari, ſi ergo æquale pretium detur, nulla aderit iniuſtitia.

## DVBIVM LXVIII.

*An verbis Bullæ Pij V. prohibiti ſunt in poſterum cenſus omnes de nouo creandi, qui ſint omninò irredimibiles?*

329 *Non ſunt prohibiti.* NOn ſunt prohibiti. Quia Pontifex ſolùm agit de cenſu redimibili, in quo erat maius periculum, & ſpecies maior vſuræ, cũ poſt ſolutas penſiones redderetur integrum pretium redimenti, penſionibus in ſortem non computatis. In cenſu autem irredimibili nullum erat tale periculum, nec de illius iuſtitia vnquam fuerat dubitatum, nec Pontifex poſſet poteſtate ſpirituali illum contractum toti orbi prohibere, in quo nullum animarum inuenitur periculum. Sic Nauar. *de vſur. numero* 98. Molina *d.* 391. *numer.* 9. Leſſius *lib. ſecund. capit.* 22. *dub.* 12. *numer.* 92. Salas *dub. duodecim. num.* 4.

330 *Sunt prohibiti.* Prohibiti ſunt. Quia Pontifex agit vniuerſaliter de omnibus cenſibus in poſterum creandis, & hos omnes dicit tales eſſe debere, vt poſſint ſemper à venditore eodem pretio, non obſtante quolibet pacto, quo ſibi eiuſmodi facultatẽ auferat. Cum ergò in cenſu irredimimibili adſit pactũ expreſſũ, quo eiuſmodi facultas redimẽdi directè aufertur, conſequens eſt, vt tale pactum prædicta clauſula omnino ſit prohibitum. Ita Bonac. *d.* 3. *de contr. q.* 4. *pun. vnic. n.* 14. citans Azor. *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæſt.* 1. & P. Salas *dub.* 12. *num.* 3. Neuter tamen hanc docet ſententiam, nam Salas potius tenet contrariam, vt vidimus Azor. vero, relata vna & altera ſententia, dubius manet, & nihil reſoluit. Vigl. *de cenſibus parte ſecund. numer.* 37. 55. *&* 153. & miratur, Nauarrum oppoſitum docuiſſe contra expreſſa Pontificis verba.

Ego autem licet propter tot Doctorum authoritatem nõ audeam damnare eum, qui priorem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

rem ſententiam in praxi amplecti, ſicut nec Rebellus audet; attentis autem verbis Bullæ non niſi videtur ſine volentia poſſe negari, quod eiuſmodi cenſus ibi prohibeantur.

## DVBIVM LXIX.

*An attento iure Pontificio poſſit venditor, obligari, ad non redimendum cenſum per partes?*

332 *Non poteſt obligari.* OBligari ad id non poteſt. Quia de iure naturali quod venditor eiuſmodi facultatem habeat; quod intelligendum eſt, dum reddit partem notabilem v.gr. dimidium, vel tertiam, aut quartam. Sic Alciat. & alij, quos affert Salas *dub.56.num prim.* Quod autem aliqui intelligunt, quando venditor eſt pauper, qui non poteſt totam pecuniam ſimul comparare.

333 *Obligari poteſt.* Poteſt venditor ad id obligari. Quia in tota Pij V. Bulla nuſquam appoſita eſt talis conditio cenſui, vt non poſſit per partes redimi, ſed tantum quod eodem pretio redimi valeat. Quare licet Martin. V. & Calixtus III. eius conditionis meminerint eſſe neceſſariam; ſed ſolùm approbarunt cenſus, de quibus fuerant conſulti, & in quibus hæc etiam conditio interuenire narrabantur. Nec Pius V. qui alias plures conditiones retinuit, & alias de nouo addidit, huius conditionis meminit; quare videtur de induſtria noluiſſe ad eam obligare. Ita Nauar. *comment. de vſur. num.*78. Molin. *d.*393. citans Sotum, Vegam, Bañes, Gutierrez, Angles, quos refert, ac ſequitur Salas, *vbi ſuprà numer. ſecundo & tertio.* Leſſius *lib ſecund. capite* 22. *numero* 93. Sà *verſ. cenſus, numer. tertio.*

334 *Hæc mihi omninò verum.* Hæc ſententia mihi omninò vera videtur. Quia nec de iure naturali nec de poſitiuo talis facultas venditori conceſſa videtur. Poterit ergò emptor obligare ad acceptandam redemptionem etiam per partes.

## DVBIVM LXX.

*Creditori denuncians debitor cenſus extinctionem, teneturne, eum non extinguere, niſi elapſo bimeſtri?*

335 *Non tenetur non extinguere, niſi elapſo bimeſtri* NOn tenetur non extinguere niſi bimeſtri elapſo, ſed poteſt quando voluerit intra bimeſtre ſoluere, & cogere creditorem ad cenſum extinguendum. Quia duo illi menſes ad hoc ſolùm conceduntur, vt intra ipſos poſſit debitor ſoluere: extra illos verò vſque ad anni finem poſſit cogi à creditore ad ſoluendum etiam inuitus. Quod colligitur ex verbis illis: *& vbi pretium neque volens intra bimeſtre ſoluat, neque ab initio intra annum exigatur.* Quibus ſignificatur debitoris libertas ad ſoluendum intra bimeſtre. Sic Molina *d.* 391. *num.* 12.

Tenetur non extinguere, niſi bimeſtri elapſo, nec poteſt pro libito intra bimeſtre ſoluere ſed poteſt cogi debitor à creditore, vt poſt denunciationem per duos menſes perſeueret in cenſu. Quia dantur illi duo menſes, vt emptor poſſit ſibi prouidere, & quærere alium cenſum vel rem fructiferam pecunia illa emendam. Qui ſenſus poteſt colligi, quia ſi debitor poſſet libere ſoluere die ſequenti, non teneretur per bimeſtre ante redemptionem denunciare, cum die præcedenti id facere quiret; quod tamen conſtat eſſe contra Bullæ præſcriptionem. Ita P. Salas *dub.*11.*num.*5. Lugo *tom. ſecund. de iuſt. d.*27. *num.*120. 336 *Tenetur planè.*

Idem aſſero, iudicans minime obſtare verba *vbi pretium neque volens debitor intra bimeſtre ſoluat*: ex quibus colligebat P. Molina, poſſe debitorē quolibet die bimeſtris pretium reddere. Nam ex contextu colligitur ea intelligenda de fine bimeſtris, cum velit Pontifex, denunciationem geri per bimeſtre ante ſolutionem quod non poſſet fieri, ſi poſſet debitor die ſequenti poſt denunciationem cenſum extinguere. 337 *Idem aſſero*

## DVBIVM LXXI.

*Cenſuales contractus, qui poſt Bullam Pij V. ſub alia forma celebrantur, ſuntne re ipſa vſurarij?*

REcolo duodecimam Bullæ conditionem. *Contractus ſub alia forma poſt hac celebrãdos fœneratitios iudicamus.* Circa hæc verba quæſierim, an cenſuales contractus, qui poſt hanc Bullã ſub alia forma celebrantur ſint re ipſa fœneratitij, an ſolum quoad fori externi præſumptionem? 338 *Duodecima Bullæ conditio.*

Solum ſunt vſurarij quoad præſumptionem fori externi, non tamen re ipſa. Quia non poteſt eſſe vſura, vbi non eſt contra iuſtitiam inęqualitas, quamuis autem debitum aliquod, v.gr. cōuertatur in cenſum, vel aliquod pactum alioquin iuſtum intercedat, nulla fit inæqualitas cōtra iuſtitiam. Ergo nec poteſt eſſe vſura. Sic Leſſius *libro ſecundo capite* 22. *dub.*12.*n.*97. 339 *Sunt vſurarij quoad præſumptionem ſolum.*

Non ſunt ſolùm quo ad præſumptionem ſi contractus vſurarij in foro externo, ſed re ipſa vnde perinde puniuntur, ac vere vſurarij. Quia ſicut eſt duplex ſimonia altera contra ius naturę altera cōtra ius ſolùm poſitiuum incurrendi pœnas ſimoniacis impoſitas; ſic etiam poſt hanc Bullam eſt duplex vſura diſtinguenda, vna ex natura rei, & contra ius naturæ, altera iuris poſitiui, veraquidem ad incurrendum vſurariorũ pœnas. Ita Molina *dub.*12.*nu.*6. & 7. 340 *Non ſunt ſolũ quoad præſumptionem.*

Primam eligo ſententiam. Exemplum enim duplicis ſimonię ad rē nō videtur, quia in ſimonia iuris poſitiui interuenit irreligioſitas contra reuerentiam re Sacræ lege poſitiua præceptam, & ideo poteſt iam eſſe ibi malitia veræ ſimoniæ contra religionem. Vſura vero non poteſt induci ſolùm ex lege poſitiua, cum non fiat vlla inęqualitas contra ius proximi, quę neceſſario requiritur ad omnem iniuſtitiam. 341 *Primam ſententiam eligo.*

DVBIVM

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### DVBIVM LXXII.

*Deficiente aliqua ex conditionibus à Pontifice aſſignatis, redditurne totus contractus irritus, ac prohibitus?*

342 *Non redditur totus irritus.* NOn redditur irritus, totus contractus, ſed ſolum quoad defectum vel additione talis conditionis. Quia, dummodo pactum aliquod contra Bullæ diſpoſitionem ei adiunctum ad petitionem emptoris exequutioni non eſt mandatum, non videtur Pontifex voluiſſe totum contractũ annullare, ſed id locum, quod eſt contra Bullam, corruere. Sic Gutier. *in pract. l.2.q.176.*

343 *Totus redditur irritus.* Totus contractus redditur irritus quoad ſubſtantiam. Quia id ſonant verba Bullæ, Contractus ſub alia forma celebrãdos fœneratitios *iudicamus.* Vbi de conractu ipſo ſecundum ſubſtantiam eſt ſermo. Ita Molina. *d.392.* Salas *dub.12.* Card. de Lugo *to.2. de iuſt. d.27. n.125.* Melius hi, quos ſector.

344 *Hoc affirmo.* Diſtinctio enim Gutierrez non videtur habere fundamentum; parum enim refert ad propoſitum, quod pactum mandatum ſit, vel non ſit exequutioni.

### DVBIVM LXXIV.

*An licitè apponi poſſit in cenſus redemptione pactum, vt venditor non ſolum idem pretium, ſed eandem monetam in ſpecie reddat?*

345 *Non poteſt licitè apponi.* MInimè poteſt tale pactum apponi. Quia illicitum id reddit graue onus, quod ex eo venditori apponitur, cuius commodo vult etiam Pontifex prouidere. Ideóque ſalua Pontificia Bulla hoc fieri non poteſt. Si multi Doctores, quos preſſo nomine memorat Card. de Lugo *to.2. de iuſt. d.27. n.135.*

346 *Poteſt quidem.* Poteſt quidem. Quia nullatenus id in Bulla eſt prohibitum. Solum enim ſtatuitur, quod venditor retineat ſemper facultatem cenſum redimendi eodem pretio, quo vendiderat. Identitas autem pretij dupliciter poteſt conſiderari, nempe vel eodem pretio formaliter quoad æſtimationem, ita vt ſi cenſus emptus fuit mille ducatis, quorum ſinguli æſtimabantur tunc ſex libris, reddi debeant tot ducati, quot poſteà ſufficiant ad tot librarum æſtimationem, quæ antea mille ducatis correſpondebant. Vel poteſt conſiderari identitas pretij quoad valorem intrinſecum, itavt debeant reddi totidem mille ducati eiuſdem bonitatis quoad pondus, & perfectionem argenti, & quoad ſigillum: & hoc ſecundo modo magis ſeruatur identitas pretij accepti, & redditi; quia ille alius valor reſpectiuus eſt magis extrinſecus, & accidentalis deſumptus ex variis extrinſecis circumſtantiis. Quare magis videtur ſeruari Bullæ conditio, ſi pactum ſit de reddendis totidem ducatis æqualis perfectionis, & ſigilli, quàm ſi ſit de reddenda eorum futura æſtimatione. Quamuis non abnego, poſſe etiam ſtante Bulla, pactum fieri de reddendis 6000. libris, eo quod mille ducati, qui nunc dantur, ſinguli nunc ſex libris æquiualent. Ita Card. de Lugo *tom. ſecund. de Iuſt. d.27. numer. 137.*

Hanc ſententiam veriorem eſſe reor, adiiciẽs pactum illud etiam eſſe licitum de iure naturæ ſi æquale ſit periculum decrementi, & incrementi futuri valoris, & æſtimationis in tali monetæ ſpecie, vel ſi fortè maior ſit ſpes, quod eius æſtimatio creſcere debeat in futurum, emptor aſcendat in pretio quanti ſpes illa æſtimabitur, & grauamen illud, quod venditori apponitur. Leſſius *libro ſecundo capite 22. dub.8.* Salas *dub.24.* Qui bene aduertunt, licitum eſſe pactum illud, etiam pretio non aucto, ſi emptor ſtatuerat pecuniã in illud tempus aſſeruare, quo eius æſtimatio erat augenda; quia ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis poterat pretio communi cenſum emere. 347 *Hanc ſententiam veriorem eſſe indico.*

## CAPVT X.

### *Circa Cambia.*

### DVBIVM LXXIV.

*An licet Cambium contractus ſit innominatus ſit in eo, pœnitentæ locus tametſi ex vtraque parte completus non ſit?*

SVpPONO, cambium contractum eſſe innominatum *Do vt des*: das enim pecuniam, vt pecuniam accipias. Molina *tract. ſecund. d. 396.* Rebellus *tom. ſecund. de iuſt. lib. 11. quæſt. prim.* & colligitur ex *leg. ex placito. Codic. de rer. permutat.* & *leg. 1. ff. eodem.* Quæſierim autem, num in hoc contractu innominato ſit locus pœnitentiæ, tametſi non ſit completus? 348 *Status quæſtionis.*

Ex eo quod cambium contractus innominatus ſit, & perfici non poſſit quovſque ex vtraque parte pecunia tradatur, quilibet ex contrahentibus poteſt pœnitere, quovſque ex ſua parte pecuniam tradat. Quia ſi contractus nondum eſt perfectus nunquàm non locum obtinet pœnitudo ad reſtituendum. Sic Nauar *ad caput Nauiganti, de vſur. numero 9.* Additque neque dominium acceptæ pecuniæ poſſe quem accipere, quovſque ex ſua parte pecuniam promiſſam tradat. 349 *Locus eſt pœnitentia.*

Minimè ex eo pœnitere poteſt, quia eſto in foro externo ob vitandas lites non admittatur actio in contractibus innominatis quovſque ex vtraque parte perficiantur: attamen in foro conſcientiæ nulli dubium eſſe poteſt obligationem eſſe accipienti pecuniam perficiendi contractum, & promiſſis ſtandi. Ita Rebellus citat. *num. 10.* 350 *Non eſt pœnitentia locus.*

*num.*10.Salas *de camb.du.*1.Palao *de iuſt. commut..d.*7*.pun.*1*.n.*1.

351 *Cum his opinor.* Cum his opinor.Nam verum non eſt,dominium pecuniæ acceptæ eſſe in pendenti, quouſque altera pecunia tradatur, cum vſu comprobatum ſit,poſſe vt propriam ſtatim expendi. Et colligitur ex *leg precibus.Cod de rer. permut.* Ab illa namque generali regula, *Traditione d minum comparari*, tantum excipitur venditionis contractus §. *venditæ*, *inſt.de rer.diuiſ.* in quo res vendita emptori non acquiritur,quouſque pretium ſoluat, vel pro ſoluto acceptetur.

## DVBIVM LXV.

*Occaſione officij cambiandi propria authoritate ſuſcepti poteſtne quis, vltrà pecuniæ valorem aliquid accipere?*

352 *Nonnulla ſuppono.* SVppono, ratione officij cambiandi à Principe, ſeu Republica iniuncti poſſe campſorem aliquod lucrum vltra valorem, quem, habet pecunia à lege, exigere ab eo, in cuius gratiam fit permutatio, niſi à Republica ſalariũ ob hanc cauſam ſit ſtatutum.Quia hoc officium nimium eſt oneroſum, cum vi illius obligationem habeat campſor,paratam pecuniam petentibus exponere, miniſtros ad illius cuſtodiam, & numerationem conducere, &c. Requiro autem, num occaſione huiuſce officij propria authoritate ſucepti poſſit campſor aliquid exigere, & an id exigens ad reſtitutionem teneatur.

353 *Non poteſt & eſt reſtitutioni obnoxius.* Non poteſt, & ſi exigat obnoxius eſt reſtitutioni.Quia *leg.prim.titul.*18*.l.*5*. nouæ collect.* cautum eſt, ne vllus campſoris munus ſuſcipiat in curia, niſi à Principe deputetur: & in aliis ciuitatibus extra curiam aſſignetur à iudicibus, & decurionibus. Sic Caiet. *tr. de camb.cap.prim.*5.6 *&* 7. Cui conſonant circa Regna Caſtellæ Sotus *lib.*6*.de inſt.q.*9*.articul. vni.concl.*3. Manu.*parte ſecund.ſummæ c.*103. *concl.*5. Rebellus *parte ſecund.de iuſt.lib.*11*.q.*4*.numer.ſeptim.quæſt.*178.

354 *Poteſt ſine reſtituendi obligatione.* Poteſt plane ſine reſtituendi obligatione,quia expoſitum eſſe cambio concedendo in gratiã petentium, ſi hoc minus ſponte ſuſcipiatur, mercede eſt dignum. Ita reliqui omnes Doctores præter Caietanum, Nauarro teſte *ſum. capite* 17*.numer.*388. Conar.*de collat.numiſm. capite* 7*.numer.*4.Syllueſt.*verb.vſura,* 4*.quæſt.*7*. dicto* 3.Valent. 2.2*.d.*5*.quæſt.*23*.punct.*4.Molina *d.*399. Sà *v.cambium,numero quart.*Salas *de camb.dub.*3*.n.ſecund.*Dummodo tamen lege aliqua poſitiua id expreſſe non prohibeatur.

355 *Hoc mihi verius.* Cum his probabilius opinor, aſſerens iure noſtro Regio minime id prohibitum eſſe;nam lex citata non prohibet campſoris munus priuatim ſuſcipi:quin potius expreſſe hoc munus omnibus eſt conceſſum:ſi quidem dicitur:*Que ſea libre, y franco* Item *que todos cambien, y puedan cambiar ſin pœna, ni calumnia alguna.* Tantum enim prohibetur campſoris publici munus propria ſuſcepti authoritate. Addo,licet lex illa vim haberet prohibendi omnibus priuandi cambij vſum: attamen ſi de facto eo vterẽtur,reſtitutioni obnoxios non eſſe.Et quidem comparatione Reipublicæ nullam obligationem reſtituendi habere poſſunt, cum nullum ei damnum intulerint. Neque item comparatione eius, in cuius gratiam cambium eſt inſtitutum, cum ab eo non ſit plus acceptum, quam quod campſorum iudicio pecunia in ea permutatione æſtimatur.Ergo nulla eſt reſtituẽdi obligatio,cũ nullus ſit cui reſtitut io debeatur. Leſſi. *lib ſecund.c.*23 *d.ſecund.numero* 17.Layman.*lib.*3*.ſect.quint.tr.*4*.capite.*19*.num.*3.Salas *de camb.dub.quint.*Rebellus *parte ſecund.de inſtit. lib.*11*.q.*4.

## DVBIVM LXXVI.

*Ob commoditatem, quam pecunia aurea, aut argentea præ ærea obtinet,poteſtne aliquid præter valorem à lege taxatum campſor exigere?*

SEcluſis rationibus ex officio cambiandi & ex damno emergente, vel lucro ceſſantibus ob commoditatem, quam plerumque habet pecunia aurea præ argentea, aut argentea præ ærea, non poteſt campſor commutans pecuniam auream pro ærea vltra valorem à lege taxatũ aliquid aliud exigere,quia Princeps cum pretium monetæ taxauit, omnes commoditates cuiuſcumque monetæ ſpectauit, nempè monetam auream ſecuriorem eſſe, aſportatu faciliorem, & ad plures vitæ humanæ vſus deſeruire. Ergo ob commoditates vnius pecuniæ pretium taxatum non licebit præterire.Sic Ioan.Medina,*Cod de reſt.q.*2*. de camb.*Valent.2.2*.d.*5*.q.*23*.pun.*2. Nec diſſentit Molina attente recognitus,*d.*341. 356 *Non poteſt aliquid exigere.*

357 *Exigere poteſt.* Poteſt in commutatione grandioris monetæ cum minutiori campſor aliquid vltra pretium taxatum recipere, ratione commoditatis.Quia licet quælibet moneta ſuas ſpeciales commoditates habeat,(nam viliori facilius res quotidiano vſui comparantur) at negari non poteſt monetam auream commodiorem eſſe & vtiliorem,cum non ſolum in proprio Regno, ſed extra magni æſtimetur,& pluribus vitæ humanæ vſibus ſit aptior. Ergo inſpecto communi hominum iudicio pluris æſtimatur. Ergo hanc æſtimationem poterit campſor vendere, cum gratis tibi commodiorem pecuniam pro minus vtili concedere non teneatur.Ita Sotus *lib.ſexto de iuſt.q.*9*.articulo vnic.* Caiet.*tr.de camb. c.*6. Sylueſt. *v.vſura* 4*.quæſt.*3 Nauar.*ſummæ capit.* 17*.numer.* 287. *&* 288. Leſſius *libro ſecundo capit.*23*.dubio ſecundo* Rebellus *p.*2*.de iuſt. libro* 11*.quæſtio. quinta* Sà *verſ. cambium, num. ſecundo & tertio* Salas *de cam.dub.*3*.numer.*9. Layman. *lib.tertio ſectio. quinta tract.* 4*.c.*19*. num.*4.

358 *Verius hoc mihi.* Hoc verius eſſe duco exiſtimans non obſtare, Regem in conſtituendo monetarum valore ſpectaſſe cuiuſque monetæ vtilitates; id enim ſolum probat,in mercibus ti emendis, & ſolutionibus debitorũ faciendis tanti æſtimandam eſſe mone-

ESCOBAR Theol: Mor. Tom: V.VI.VII. E.IV 6

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

monetam argenieam, ſicut aureã, vel æreã, cũ earum æſtimatio in ordine ad præfatũ finem ſolũ ex lege pendeat, non tamen probat, ipſam monetam auream in ſe comparatione alterius non eſſe pluris æſtimandam. Vnde modius tritici decem & octo dachmis vendendus, potes emere moneta aurea, argentea & ærea: neque ex eo quod ematur ęrea pretum augeredebes, neque ex eo quod aurea emeris, diminuere; quia comparatione rerum venalium pretium ac valor legis eſt ſpectandus. Leſſius. *citat. dub.* 8. Salas *dub. 3. & 4.*

## DVBIVM LXXVII.

*An ſit iuſtus titulus, vt campſor lucrum comparere valeat, ſi ipſe prius det pecunias alicui, vt alibi recipiat?*

359 *Nullus iuſtus adeſt titulus.* NVllus iuſtus ad id adeſt titulus. Quia neque hic interuenit titulus virtualis traiectione, ante receptam enim pecuniam non eſt traiectioni locus, & cãpſarius cẽſetur campſori pecuniam traiicere, non è contra. Neque interuenit titulus maioris æſtimationis. Nam eſto pecunia præſens maiores cõmoditates regulariter habeat, quam abſens, id tamen vniuerſe verum non eſt cum ſæpe merbatoribus pecunia abſens vtilior ſit; illa enim pecunia Valliſoleto v.gr. data, & Matrito accepta merces vilius emunt, quos alibi carius vendant, à qua negotiatione lucroſa cogerentur abſtinere, niſi pecuniam alibi paratam haberent. Sic D. Antonin *part. 8. cap. 3.* Sarmiento *lib. 7. ſelect. cap. 2. n. 7 & 8.* & alij.

360 *Iuſtus titulus adeſt.* Adeſt ad id titulus iuſtus. Quia ineſt titulus virtualis traiectioni, cui non obſtat pecuniam prius à campſore concedi. Nam licet ad formalem & realem traiectionem opus ſit, pecuniam prius campſarij eſſe receptam; ſecus ad traiectionem virtualem, & eminentem, quæ in eo conſiſtit, vt beneficio campſarij abſens pręſens virtute cenſeatur. Ità Caiet. *tr. de cambio cap. 8.* Sotus *lib. 6. de iuſt. q. 10. a. 1.* Naua. *ad c. fin. de vſur. numer. 25. & ſum. cap. 17. n. 289. 290. & 294.* Ioan. Medin. *de camb. q. 4. & 5.* Bannes *2. 2. vbi de camb. dub. 5. art. vlt.* Valent. *ibi, d. 5. q. 23, pun. 4.* Tolet. *l. 5. cap. 55.* Sà *verb. Cambium, num. 3 & 4.* Molina *d. 404.* Leſſius *lib. ſecund. cap. 23. dub. 4.* Salas *de camp. dub. 9. n. 2.* Laym. *p. 3. ſect. 5. tr. 4. cap. 19. n. 9.*

361 *Hoc ferè mihi certũ.* Hoc mihi fere certum alium iuſtum titulũ adiiciente ſcilicet, maiorem æſtimationem, quam habet pecunia præſens, præ abſente. Negari enim non poteſt præſentẽ pecuniã regulariter commodiorem ac vtiliorem eſſe, minoribuſque periculis expoſitam. Et licet aliquãdo mercatoribus commodior ſit pecunia abſens, quam præſens, id per accidens eſt, & eorum forunæ aut induſtriæ eſt tribuendum.

## DVBIVM. LXXVIII.

*An cambia cum lucro intrà idem Regnum poſſint, inſtitui?*

362 *Non poſſũt inſtitui.* INſtitui non poſſunt. Quia titulus honeſtandi auctarij receptionem in cambiis eſt virtualis traiectio pecuniæ periculoſa, & difficilis; at intra idem Regnum hæc difficultas, at pericula ceſſant; Ergo ceſſat titulus, quo honeſtari auctarium in cambio poſſit. Sic Matienzo *ad leg. 8. gloſ. 1. titulo 18 lib. 5. nouæ collect.* Sotus *l. 6. de iuſt. qu. 10. a. 1. & q. 13. a. 1.* Gaſpar Roderic. *de reditib. q. 5. numer. 17.*

363 *Inſtitui poſſunt, ſecluſa lege poſitiua.* Secluſa lege poſitiua, poſſunt cambij cum lucro intra idem Regnum inſtitui. Quia licet plerumque maiores difficultates ac pericula intercedant in traiectione pecuniæ ex vno Regno in aliud; attamen negari nequit, aliquas difficultates & pericula interuenire in traiectione pecunię ex vna in aliam prouinciam, ac ex vna in aliam ciutatem. Ergò eſt ſufficiens titulus auctarium honeſtandi, tametſi moderatum iuxta loci diſtantiam, & pericula, ac difficultates, quæ in traiectione reali intercedere poſſent. Ita Nauar. *ſumm. cap. 17. numer. 290.* Molina *d. 405.* Toletus *lib. quin. cap. 54.* Sà *v. Cambium, num. 6.* Leſſius *lib. ſecund. capit 23. dub. 4. numer 32.* Rebellus *parte 2. de iuſit lib. 11. q. 6. num. 14.* Salas *de camb. dub. 10.* Palao *de iuſt commut d. 7. punct. 6. num. 2.* & alij.

364 *Longe hoc probabilius.* Longe hoc probabilius. Dixi autem *ſecluſa l. poſitiua.* Nam *lege 8. titulo octauo titulo 18. lib. quint. noua collect.* dicitur *Mandamos, que no puedandar a cambio marauedis algunos por ninguna intereſſe de vn lugar de eſtos Reynos para otro alguno dellos: ni de vna ferta a otra de las que ſe hazen en eſtos nueſtros Reynos, ſopena, &c.* Verùm Molina, Salas, & Nauar. citati exiſtimant, hanc legem ſolum procedere, cũ campſor prius recipit pecuniam, poſtmodum cum incremento ſuſcipiendam ſicut indicant illa verba, *No puedandar a cambio marauedis algunos, &c.* quia in hac cambij conceſſione videtur vſura palliari. Non autem prohiberi cambium, quo campſor pecuniam recepit poſtmodum minorem ſoluendam.

## DVBIVM LXXIX.

*Vltra titulum officij cambiandi, & damni emergentis, ac lucri ceſſantis, atque virtualem monetæ traiectionem, titulusne iuſtus eſt, ad aliquid amplius recipiendum vberioris lucri, maior pecuniæ æſtimatio.*

365 *Eſt iuſtus titulus.* ESt quidem iuſtus titulus. Quia ſi campſor Valliſoleti pecuniam recipiat in Flandria reddendam, vbi maior illius eſt æſtimatio, amplius reddit in Flandria, quam Valli-

Valliſoleti accipit: ergo hoc ex titulo poteſt lucrum recipere. Sic Leſſius *libro ſecund. capite 23. dub. 4. num. 37.* Mol. *d.* 406. & 410. Salas *de camb. dub.* 12.

366 *Iuſtus titulus non eſt.* Titulus iuſtus non eſt. Quia ſi campſor tuam pecuniam Valliſoleti receptam tranſmitteret Flandriam, eo ipſo pluris inibi æſtimaretur: Ergo ea maior æſtimatio tranſmiſſioni eſt annexa. Ergo campſor lucrum recipiens ob tranſmiſſionem, nequit alium lucrum pro maiori monetæ æſtimatione recipere. Ita Sotus *l. 6. de iuſt. q. 12. a. 2.*

367 *Primam ſententiam reor veriorem eſſe.* Primam ſententiam longe reor eſſe veriorem. Nam traiectio, quę in cambio intercedit, non eſt realis, & phyſica, ſed moralis, & æquiualens, quatenus obligatur recipiens tantundē ex ſuis bonis alibi reſtituere. Cum autem pecunia eo in loco, vbi eſt reſtituenda, maiorem contineat valorem, conſequens eſt, ſic obligatum ob eam cauſam poſſe ſecluſo traiectionis titulo, compenſationem petere. Manifeſte id probo, ſi enim pecuniæ vtrobique eundem haberent valorem, poſſet campſor titulo traiectionis lucrum exigere. Ergo addita traiectioni maiore pecuniæ ſoluendæ ęſtimatione iuſte poterit ob hanc cauſam maius lucrum accipere.

## DVBIVM LXXX.

*An poſſit lucrum augeri à campſore, ex eo quod in loco vbi reddenda eſt, quæ hîc accipitur, pecunia, ſit rarior, paucioresve ſint, qui ad cambium concedunt?*

368 *Quæſtionis ſtatus.* GRauior eſt dubitatio, cum maior pecuniæ ęſtimatio, (de qua Dub. proximo) ex alijs capitibus extrinſecis procedit, & non ex lege, nimirum quia pecunia eo in loco, vbi à campſore datur, rarior eſt, ac pauciores ſunt, qui hîc ad cambium concedant, num poſſit à campſore lucrum augere?

369 *Non poteſt augeri cambium.* Non poteſt augere lucrum ob pecuniæ raritatem. Quia pecunia illa eſt eiuſdem legalis æſtimationis; alias liceret acceptis mutuo centum minus reddere, ſi tempore ſolutionis raritas pecunię contingat. Sic Medina *de cam. q. 4. §. illud tamen.*

370 *Poteſt augeri.* Poteſt cambium ex hoc capite augeri. Quia licet pecunia cum adeſt illius copia tanti æſtimetur legali æſtimatione quanti æſtimatur, cum eſt illius penuria, attamen abſolute minoris æſtimationis eſt, maiorque illius copia exhibetur in rerum venalium emptione, ſed cambij pretium augetur ex eo, quod res cambianda maioris eſt æſtimationis: Ergo ex hoc capite augeri pretium cambij poterit. Ita Sotus *l. 6. de iuſt. q. 10. a. 3.* Nauar. *ad c. fin. de vſur. n.* 51. Rebel. *p. 2. de iuſt. l. 10. q. 8. n. 9.* Tolet. *l. 5. c.* 53. Palao *de iuſt. commut. d. 7. pun. 7. n.* 3. Salas *de cenſ. dub.* 35.

371 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Et quidem quod eandem pecuniæ quantitatem ſoluere debeas, (cum mutuum accepiſti) ſiue pecuniæ copia, ſiue penuria ſit, prouenit ex eo, quod in mutuo pecuniæ tantum ſpectatur illius valor, in ratione pecuniæ. Idem dixerim, cum campſores ſunt pauci, & multi ad cambium petentes. Nam ſicut ex multitudine emptorum, & vendentium paucitate mercium pretium augetur, ſic ex multitudine petentium cambium, & paucitate exhibentium illud augeri debet.

## DVBIVM LXXXI.

*Licitumne eſt cambium cum lucro conceſſum ei, qui etſi verè nullam pecuniam habeat in loco ſolutioni deſtinato, ignoranter tamen exiſtimat eam habere?*

SI certo ſcias; eum, cui pecuniam ad cambium concedis, nullam pecuniam habiturum neque per ſe, neque per alium etiam ad cambium ſumptam, qua poſſit ſolutionem in loco deſtinato præſtare, nullatenus poſſes auctariū vllum recipere, quia nullum ibi cambiū intercedere poteſt, cum nulla ſit pecunia campſarij, qua cum tuam permutes. Attamen quæſtioni committo, an poſſit quis lucrum id accipere, cum bona fide proceſſit? 372 *Nonnulla præmitto.*

Minime poteſt. Quia cambium eſſe non poteſt, vbi non eſt pecunia permutanda: ergo neq; lucrum cambij. Sic Petr. de Ledeſ. *p. 2. ſum. tr. 8. de camb. concl. 5.* Vega *ſum. v. Cambium, caſu* 22. Salas *tr. de camb. dub.* 15. 373 *Non poteſt.*

Poteſt quidem. Quia licet ille contractus nullus fuerit, obligatur tamen ſic contrahens non tam ex vi contractus, quam ex vi deceptionis compenſare decepto quantum ſua intererat, contractum verum eſſe, alias non videtur, iniuriæ ſatisfacere. Ita Mol. *d.* 404. Leſ. *l. 2. cap. 23. dub. 7. n. 69.* Palao *de iuſt. d. 7. pun. 8. n. 2.* 374 *Poteſt quidem.*

Primam ſententiam eligo. Quia lucrum illud non debetur ex contractu, cum nullus fuerit, tùm ex pecuniæ defectu, tum ex defectu voluntatis campſarij ſe obligandi. At ex alio capite deberi non poteſt. Supereſt ergò, vt ſolum debeatur illi damni emergentis, aut lucri ceſſantis compenſatio, ſi quod ex datione pecuniæ proueniat. 375 *Primam ſententiam eligo.*

## DVBIVM LXXXII.

*Licitumne eſt cambium, cum pro campſario reſpondet campſoris procurator?*

NOn eſt licitum. Quia cambij contractus inuoluit vnius pecuniæ pro alia commutationem. At ſi procurator campſoris pro campſario reſpondeat, non reperiuntur diuerſæ pecuniæ commutatę, cum ille procurator non ſatisfaciat campſori per pecuniam campſarij, ſed per campſoris pecuniam. Sic Sot. *l. 6. de iuſt. q. 10. a. 1.* Mercado *l. 4. de contr. c. 7.* Gaſp. Roderic. *l. 3. de reddit. q. 5. n.* 17. Mol. *tr. 2. d.* 404. Comitol. *l. 3. qu.* 15. & 16. Palat. *l. 13. de contr. c. 3.* Reb. *p. 2. de iuſt. l. 11. q. 6. concl. 3. n.* 10. 376 *Non eſt licitum.*

Licitum eſt. Quia ad cambium non eſt opus propriam habere pecuniam actu, cum pecunia cambienda accipitur, ſed ſatis eſt, ſi eam 377 *Licitum eſt.*

campſarius habeat in ſpe, moraliterque certus ſit, eam accepturum vel donatione, vel mutuo, vel cambio, ſed perinde eſt eam pecuniam recipere à procuratore campſoris, ac ab alio tertio: Ergo campſarius ſciens procuratorem campſoris ſibi accommodaturum pecuniam, vt campſori ſatisfaciat, optimè cambium cum campſore poterit inſtituere. Ita Syluеſt. *verb. Vſura 4. quæſtione 9. dicto 6.* Nauarr. *ſumma capit. 17. numero 289.* Sà *verb. Cambium, numero octauo,* teſtaturque à Pio V. approbatum eſſe in Bulla data ad Bononienſes, quod nullatenus faceret Pontifex, ſi iure naturali inſpecto iniquitatem contineret. Salon *quæſtion. quart. de camb. articulo ſecundo controu. 11. & 12.* Leſſius *l. 2. c. 23. dub. 7.* Salas *de camb. dub. 17. n. 4.*

378 *Secundam ſententiam elgo.* Ex hiſce ſententijs admodum probabilibus ſecundam mihi eligo credens Salonio aſſerenti, Congregationē Cardinalium declaraſſe, hoc cambium non cōprehendi in Pij V. Bulla cābia prohibentis. Itaq; procurator cāpſoris duplex munus gerit concedit enim ex cāpſoris præſcripto cāpſario pecuniā, vt campſori ſatisfaciat, & illammet pecuniam virtualiter traditam campſario, ab eo vt procurator illius accipit, & campſori reddit. Ob cuius officium, & factoriam recipere à campſario leuiſſimum recipere ſtipendium. Aduertunt id Salonius *controuer. 12.* & Salas *dub. 17.*

DVBIVM LXXXIII.

*Campſores, vel banchary poſſuntne exigere à deponentibus pecunias ſtipendium?*

379 *Non poſſunt.* NOn poſſunt. Quia cum campſores, & bancharij accipiunt pecunias a quouis deponente cum obligatione, eas reddendi, quando deponenti placuerit, hoc depoſitum non eſt rigorosè depoſitum, ſed mutuum: ſiquidem eſt depoſitum cum facultate eo vtendi, & tantundem reddendi. At mutuatarius nequit ob cuſtodiam mutui aliquid vltra ſortem accipere: Ergo nec hi campſores depoſitarij. Sic ex doctrina Nauarri *ſum. c. 17. n. 295.*

380 *Poſſunt plane.* Poſſunt planè. Quia licet illam pecuniam campſores accipiant cum facultate diſponendi, illiuſque dominium acquirant, accipiunt tamen in gratiam deponentium, & cum obligatione reddendi, quando, & qua forma deponenti placuerit, pro cuius obligationis expeditione, paratam ſemper pecuniam habere debent miniſtros, ac famulos, qui rationem ſcribant, & pecuniam à deponentibus recipiant: & alijs ſoluant, quæ omnia mercede ſunt digna, neque in mutuo, quod in gratiam tantum mutuatarij præſtatur, continentur. Ita Molin. *diſputatione 408* Leſſi. *l. 2. c. 23. dub. 8.* Salas *de camb. dub. 20. & 26.* Rebel. *de iuſt. p. ſecund. libro 11. quæſtion. 8.*

381 *Communem hanc tuteo.* Certè rectè poſſe mercedem moderatam exigi ob depoſitam illam pecuniam campſori traditam, aut banchario communem reor eſſe ſententiam. Cui non obſtat hanc cuſtodiam pecuniæ campſoribus eſſe commodam, & occaſionem lucri, id enim eorum induſtriæ, ac fortunæ eſt tribuendum cum pecunia ex ſe fructifera non ſit. Attamen licet hoc ita ſit, conſuetudo obtinuit, nullum à deponentibus exigi ſtipendium pro eiuſmodi cuſtodia, vt de Hiſpania, Gallia, Italia, alijsque orbis Regnis Nauarrus Molina Leſſius, Salas, & Rebellus citati animaduertunt: Quod procedit, cum ſoluunt eiſdem deponentibus. At ſi tertio ex eorum commiſſione ſoluant quinque, vel ſex pro mille ſolent accipere. *ſententiam.*

DVBIVM LXXXIV.

*An campſor vel bancharius licitè poſſit detrahere ex mille ſex à deponente ob cuſtodiam, & obligationem, quam in eorum gratiam ſuſcipiunt?*

VIdimus *Dub.* proximo, campſorem cum non eiſdem deponentibus, ſed cum tertio ex eorum commiſſione ſoluit, ſolere quinque vel ſex pro mille accipere. Quare conſignatis litteris ſolutionem mille continentibus ſatisfaciunt ſoluentes 994. illa enim ſex detrahunt à deponentibus ob cuſtodiam, & obligationem: quam in eorum gratiam ſuſcipiunt. Sed an illa ſex poſſint detrahere creditoribus, an illis, quibus pecuniæ ex præſcripto deponentium ſoluendæ ſunt, non eſt conſtans ſententia. Quæſierim itaque, an licitè poſſint illa ſex ab ijs, quibus pecuniæ ex præſcripto deponentis ſoluendæ ſint detrahere? 382 *Quæſtionis ſtatus.*

Poſsunt, quidem, maxime ſi vſu ſit receptum. Quia hoc officium campſoris, quod eſt pecuniam ſolutioni habere cedit admodum in creditorum commoditatem, merceſque vendentium, qui à mercatoribus ſuarum mercium pretium habere non poſsent, niſi hi campſores interuenirent. Ergo ob hoc officium aſſumptum iuſte compenſationem illam accipere poterunt. Sic Sotus *libro ſexto de iuſt. quæſt. 11. a. vnic.* Graf. *tomo primo deciſ. capite 110. numero octauo* Vega *ſumm. & epit. verb. Cambium, numero 45.* Bannes *2. 2. tomo ſecund. tr. de camb. dub. 7. & 8.* Petr. de Ledeſ. *part. ſecund. ſum. Vbi de camb. concl. 11.* Regiæ 5. conſuetudine eſſe derogatum. 383 *Poſſunt quidem.*

Minime poſsunt. Quia nullus videtur adeſſe titulus eam receptionem honeſtans, ſiquidem cuſtodia pecuniæ, & obligatio ſoluendi in gratiam tantum deponentium pręſtatur, ac proinde illi ſoluere ſtipendium debent, non ij, quibus ex eorum præſcripto pecunia eſt ſoluenda. Deinde numeratio pecuniæ, & illius conſcriptio in libris rationum etiam fit in deponentium commodum nullatenus in commodū eorum, quibus pecunia ſoluitur, qui potius vellent ipſi ſibi eā numerare: Nullus ergo adeſt titulus, quo illa ſex ijs creditoribus detrahantur. Cautū hoc eſt *lege Regia 5. tit. 18. l. 5. noua collect.* Ita Nau *ſum. c. 17. n. 293. & ad c. fin. de vſur. n. 37.* Tolet. *l. 5. c. 54. num. 4.* Mol. *d. 408. concl. 2. & 3.* 384 *Poſſunt quidem.*

Valent.

Valent.2.2.*d*.5.*q*.23.*p*.3.Reb.*p*.2.*de iuſt.l*.11. *q*.14.Salas *de camb.dub*.26.

385 *Auctoris iudicium.* Iudico hanc ſententiam communem quidem tenendam,& conſulendam,non tamen primam improbabilem eſſe, maxime ſi vſu ſit receptum, poſſe campſorem illa ſex creditoribus detrahere certe Petrus de Ledeſma *citatus* aſſerit legi Regię illi quintę contraria conſuetudine eſſe derogatum.

## DVBIVM LXXXV.

*Licitumne eſt campſori paciſci, quod ſi tempore deſignato eandem ſummam campſarius non ſoluat, in recambium accipiat?*

386 *Nonnulla præmitto* CErtum mihi obligari poſſe campſarium ad intereſſe, quod campſori ex non ſoluta penſione proueniret,ob lucrum ſcilicet ceſſans, aut damnum emergens. Quia campſor non tenetur eam iacturam ob campſarij commodum peti.Præterea adſtringi poſſe ad ſubeundã aliquam pœnam culpæ proportionatam ob omiſſam tempore conſtituto ſolutionem, ſicut in mutuo, alijſque contractibus moroſus debitor obligari poteſt.Debet tamen culpa moralis eſſe, alias pœna ſaltem in foro conſcientiæ nullatenus debita erit.Lege Salas *dub*.22.& 39.Toletum *l*.5.*c*.52. Quæſierim autem, num licitum ſit campſori paciſci, quod ſi tempore deſignato campſarius non ſoluerit, eandem ſummam in recambium accipiat?

387 *Non eſt licitum.* Non eſt licitum. Quia eſt obligatio extra naturam contractus. Ex vi enim contractus cambij ſolum obligari campſarius poteſt,ad ſubeundam moderatam pœnam ob culpabilem ſolutionis omiſſionem, & ad compenſandum campſori intereſſe Ergo ſi recambium illud intereſſe excedat ac culpam omiſſæ ſolutionis, haudquaquam ad id campſarius poterit obligari.Sic Nau.*ad c.fin de vſur. vbi de cam.n*.25. Sot.*l*.6.*de iuſt.q*.3.*a*.2.Mercado *l*.4.*de contr.c*.4.*n*.10.Palat.*l*.3.*de contract.c*.4.*n*.8.

388 *Licitum eſt* Licitum eſt. Quia ſi ex contractus natura poteſt campſarius obligari ad ſoluendam pœnam ob culpabilem ſolutionis omiſſionem, & ad compenſandum campſori intereſſe, poterit campſarius obligari ſaltem ad recambiandam ſortem,quatenus illud recambium intereſſe non excedit,quod alias campſor haberet ex ſolutione ſortis ſibi facta, vel quatenus non excedit culpam commiſſam in ſorte non ſoluenda. Ita Leſſ.*l*.2.*c*.23.*du*.9.*nu*.80.Graf.*to*. 1.*deciſ.l*.2.*c*.110.*n*.15.Salas *de camb.dub*.22.

389 *Auctoris reſolutio.* Veriſſimam ſententiam, & omnino tenendam iudico non poſſe campſarium ad recambiandam ſortem obligari, niſi quatenus illud recambium intereſſe campſori obuenturum ex ſolutione ſtatuto facta tempore non excedit.

## DVBIVM LXXXVI.

*An ceſſante fraude in cambio ſit obligatio implendi conditiones à Pio V. præſcriptas?*

SVppono,Pium V.in Bulla edita anno 1571. 390 *Conditiones à Pio V. aſſignatæ ad cambij iuſtitiam recolo:*
quam referunt Nau.*ſum.c*.17.*n*.300.& Rebel.*p*.2.*de iuſt.l*.11.*q*.13. aliquas conditiones aſſignat pro cambio inſtituendo,quas ſub grauibus pœnis ac ſeuere præcipit obſeruari. Prima eſt, ne campſor rationi dilationis vltra terminum ſolutioni deſignatum conceſsę lucrum aliquod exigat:Secunda,ne ab initio vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe etiam euentu, quo ſors ſoluta non fuerit. Tertia, ne realia cambia aliter quàm ad proximas nundinas inſtituant,vel ſi nundinæ non agantur,ad proximos terminos iuxta locorum conſuetudinem. Quarta, deſignantur ſolutionum termini iuxta longinquitatem,vel vicinitatem locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dùm longiores præfiguntur,quam loca deſtinata ſolutioni deſiderant,fœnerandi detur occaſio.Hoc promiſſo,quæſierim, nam ceſsante fraude in cambio, ſit implendi has conditiones obligatio?

Nulla eſt obligatio ſi fraus non adſit, haſce 391 *Non eſt obligatio.*
implendi conditiones. Quia Pontifex ob fraudem,quam interuenire præſumit, ſi hæ conditiones non obſeruentur præceptum hoc tulit. Sic Nau.*ſum q*.17.*n*.301.

Eſt quidem obligatio, licet fraus non adſit. 392 *Obligatio eſt.*
Quia Pontifex non præſumptioni fraudi in hoc præcepto nixus fuit, ſed periculis fraudis committendę.Ita Salas *tr.de camb.du*.27.*n*.2.Palao *de iuſt.d*.7.*pun*.14.*n*.1.

Veriorem hanc ſententiam eſse exiſtimo.Vnde licet nulla fraus interueniat;quia tamen pe- 393 *Verius hoc mihi.*
riculum vniuerſe non abeſt lex Pontificia vim obtinet, dummodo ſit recepta. Quod addiderim, quia Leſſius *libro ſecund. capite* 23. *dub*.11. *fine*, & Salas *dubit*. 26. teſtantur, paucis in locis, & forte nuſquam ſaltem quoad omnes conditiones, legem Pij V. receptam eſſe?

## DVBIVM LXXXVII

*An ſit obligatio reſtituendi acceptum ſi de facto campſor paciſcatur de certo intereſſe, ſi termino præfixo ſibi non præſtetur ſolutio ob veriſimile periculum damni, quod timet euenturum?*

DIximus *Dub*.proximo,ſecundam cõditionem Bullæ Pij V.eſse.Ne ab initio,vel po- 394 *Statusquæſtionis.*
ſtea campſor paciſcatur de certo intereſſe etiã in euentu, quo ſors ſoluta non fuerit. Porro conditio hæc,inſpecto iure naturali, non obli-

gat. Poteſt namque in cambio alijſque contractibus decreto intereſſe pactum geri, ſi termino deſignato non fuerit facta ſolutio. Quod pactum honeſtatur ob veriſimile periculum damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod timet creditor ſibi euenturi, ſi ſolutio differatur. At quia in hoc pacto plerumque adeſt fraudis periculum, id ſummus Pontifex prohibuit Quæſtio igitur eſt, ſi de facto campſor pactus fuerit de certo intereſſe, ſi termino præfixo ſibi ſolutio non præſtetur, ſit reſtituendi ſic acceptum obligatio?

395 *Adeſt quidem obligatio reſtituendi.*

Adeſt quidem. Quia ſi de facto nullum poſtmodum damnum contingit nullus eſt titulus, quo intereſſe illud recipi poſſit, cum nullum ſit intereſſe compenſandum. Si vero de facto damnum eueniat, quod intereſſe petitum non excedat, & ſi occaſione illius intereſſe recipi poſſet, id intelligendum eſt, cum in pactum poteſt deduci: At pactum de certo intereſſe eſt nullum vtpotè à Pontifice reprobatum iuxta *leg. Non dubium, Codic. de legib.* Ergò certum illud intereſſe non poteſt retineri. Sic Reb. *p. 2. de iuſt. l. 11. q. 13.*

396 *Non eſt obligatio.*

Nulla adeſt reſtituendi obligatio intereſſe acceptum ob periculum damni emergentis, aut lucri ceſſantis, cui ſe campſor expoſuit. Quia illud periculum (eſtò poſtmodum damnum non eueniat) mercede conduci poteſt. Ita Palaus *de iuſt. d. 7. puncto* 14. *numero ſexto* Nauarr. *ſum. cap.* 17. *numero* 301. *notab.* 4 Leſſi. *l. ſecund. cap.* 23. *dub. vltim. num.* 90. Salas *de camb. dub. 6. numero* 4.

397 *Hoc probabilius eſſe indico.*

Hoc probabilius eſſe indico. Nam pactum illud etſi à Pontifice vt periculoſum prohibetur, non tamen irritatur. Nullum enim eſt verbum, ex quo hæc irritatio colligatur.

## CAPVT XI.

## *Circa Locationem, & Conductionem.*

### DVBIVM LXXXVIII.

*An ſi quis habeat licentiam Papæ, vel Epiſcopi ad petendam eleemoſynam per ſe, vel per alios, vt ſuæ conſulat egeſtati, poſſit hoc ius aliis pretio locare?*

398 *Poteſt quidem.*

POTEST quidem. Quia nullo expreſſo iure locare prohibetur, aut ſit inhabilis ad pretium locationis recipiendum, & locat ius illud quod habet, & eſt contractus fortunæ, quo vterque lucri, aut iacturæ periculo exponitur. Sic Sanch. *l. 1. conſ. c. 7. dub. 2. n. 2.* citatque P. Henricum *l. 7. de indulg. c. 35. n. 5.* qui tamen ſolùm dixit, contrarium non eſſe certum.

399 *Non poteſt.*

Minime poteſt. Quia intentio concedentis licentiam, non eſt; vt locetur. Quare conductor tenebitur reſtituere quod acquiſiuit vltra pretium locationis, quod ſoluit ſuſtentationem, illi cuius erat licentia, ſi nondum eius neceſſitati conſultum erat alioquin pauperibus alijs. Ita Manuel Rodriq. *in Bulla compoſit. n.* 51. Corduba *ſum. q.* 98.

400 *Auctoris iudicium.*

Ego quidem locationem ac conductionem illam valde periculoſam eſſe iudico. Quia licet in aliquo ſenſu excuſari fortè poſſet ab iniuſtitia ex parte vtriuſque, tot tamen circumſtantiæ ad hoc requiruntur, vt raro inueniantur, & ſemper magnam præſeferre videtur indecentiam pietatis prætextu lucrum quærere.

### DVBIVM LXXXIX.

*Vxor, ſoluto matrimonio, teneturne ſtare locationi rei dotalis à marito factæ?*

401 *Non tenetur.*

NOn tenetur. Quia ſicut ſucceſſor in maioratu, vel fideicommiſſo non tenetur prædeceſſorem reddere indemnem à damnis ex locatione facta ei imminentibus, quia nimirum poſtea poſſit contractui non ſtare, ita vxor cum non debeat ſtare contractui facto à marito, non apparet, cur debeat vxor ſtare locationi factæ à marito, & eum reddere indemnem à damnis ex locatione imminentibus. Sic Mol. *d.* 492. *n.* 3. citans Couar. Anton. Gomezium, & alios.

402 *Tenetur plane.*

Tenetur omnino. Quia maritus non ſolum eſt vſufructuarius, ſed etiam adminiſtrator bonorum dotalium, quæ cum vxor per ſe ipſam adminiſtrare non poſſit, pertinet ad maritum eorum adminiſtatio in ſuam vtilitatem, quia eſt vſufructuarius, & in vxoris vtilitatem, quæ eſt rerum dotalium domina, *l. in reb. C. de iure dot.* Quare ſicut minor, debet ſtare locationi à tutore, vel curatore factæ, penes quos eſt bonorum adminiſtratio: Sic ſtare debet locationi à marito factæ vxor, cui maritus eſt quaſi curator ad eius bona adminiſtranda, & ideo merito vxor cauere cogitur, antequam dotem recipiat, de ſeruato marito indemni ab oneribus, quæ in eiuſmodi contractibus ſubierit. Ita Cardinalis de Lugo *tomo ſecund. de inſtit. d.* 29. *nnmer.* 23.

404 *Verius hoc mihi.*

Verius mihi videtur fatendũ, vxorem debere abſolute ſtare locationi factæ à marito, ſaltem in ijs caſibus, in quibus minor ſtare tenetur, poſtquam eſt ſui iuris, locationi factæ à tutore, vel curatore. Quod fatetur Panormita. & alij, quos refert Molina *ibi.* quibus addiderim Alexandrum, cuius verba pro ſummario adiecta ſunt in ipſo Infortiato ante illum §. *ſi vir in quinquennium,* in hunc modum: *Locationi factæ per virum vxor ſtare tenetur, ideo cauetur de intereſſe, ſi contra fecerit.*

DVBIVM

## DVBIVM XC.

*An fructus rei conductæ fiant conductoris ante ſolutam penſionem?*

404 *Non fiunt.* NOn fiunt. Quia ſicut res vẽdita in dominium emptoris non trãſit, donec pretium ſit ſolutum, vel vẽditor pro ſoluto habeat, in rei locatæ fructibus idem conſequenter erit dicendum. Sic gloſ. *ad l. ſi ſeruus communis §. locati, v. facere, ff. de furtis* Bartol. & alij, quos refert Mol. *d.* 497.

405 *Fiunt equidem.* Fiunt equidem conductoris fructus ſtatim ac ſeparati ſunt à prædio. Quia quod res vendita, & tradita non tranſeat in dominium emptoris peculiare eſt in venditione, nec debet deciſio illa iuris ciuilis extendi ad alios contractus, cum non ſit de natura contractus, cum non ſit de natura contractus, ſed ex ſolo iure poſitiuo. Ita Aluar. de Velaſco, quem refert, ac ſequitur Mol. *ibi. n.* 4. Lugo *tom. ſecund. de iuſt. d.* 29. *numer.* 26.

406 *Veriorem eſſe hanc ſententiam reor.* Veriorem hanc reor eſſe ſententiam. Nam quamuis in §. *locati* dicatur concedi locatori actionem furti, ſi clam, ipſo inuito, fructus extra prædium aſportentur ante ſolutam penſionem, non inde arguitur: ipſum fuiſſe dominum fructuum, nam ſi creditori pignus clam auferatur, furtum etiam committitur.

## DVBIVM XCI.

*Quid nomine ſterilitatis omnimodæ, quæ omninò ab vlla penſione ſoluenda excuſat, intelligatur?*

407 *Nonnulla recolo.* REcolo, ex æquitate, ac benignitate iuris erga conductores introductum eſſe, vt propter ſterilitatem ſuperuenientem abſque conductoris culpa vndecumque proueniat, ſiue ex cauſis naturalibus, ſiue ex hoſtium incurſione, ſiue ex incendio, ſiue ex locuſtis, &c. quando omnino fructus colliguntur, liberetur omninò cõductor à penſione ſoluenda *l ſi merces, §. vis maior l Ex conducto. §. ſi vis, ff. locati. l.* 1. *C. eodem tit. c. Propter ſterilitatem*, ſi tamen ſterilitas non tollat omnes fructus, ſed tamen ſit magna, & notabilis, imminuitur penſio pro rata: Si vero modica, nihil remittitur §. *vis maior*. Iam autem requiro, an nomine ſterilitatis omnimodæ, quæ excuſat omnino ab omni penſione ſoluenda, intelligatur, quando nulli prorſus fructus ex fundo colliguntur; an vero etiam quando deductis expẽſis, nulli fructus remanẽt.

408 *Non intelligitur quando nulli prorſus fructus colliguntur.* Non intelligitur quando nulli prorſus fructus colliguntur è fundo, ſed quando deductis expenſis nulli fructus remanent. Quia expenſę deductę nullam conductori afferunt vtilitatem, vnde perinde illi, ac ſi nullos fructus perceperit. Sic Bartol. *ad l ſi merces, §. vis maior.*

409 *Intelligitur, quando nulli colliguntur fructus.* Intelligitur, quando nulli prorſus fructus ex fundo colliguntur. Quia id clare indicatur *l. ex conducto, §. ſi vis ff. locati.* ibi: *Sed etſi labes facta ſit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non eſſe, vt ſuprà damnum ſeminis amiſſi mercedes agri præſtare cogatur.* Ita Mol. *d.* 495. *n.* 2. Secutus Panormitanum, Couar. & alios.

410 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Textus enim ille ſupponit, nullos fructus collectos, alioquin non facere iacturam ſeminis, quę facta ſupponitur. Requiritur ergo ad huiuſmodi omnimodam liberationem à penſione, quod nulli omnino fructus percipiantur.

## DVBIVM XCII.

*An diminuenda ſit tunc penſio ſolum quando non percipitur dimidia pars fructuum qui communiter ex eo fundo ſolent percipi?*

411 *Diminuenda eſt ſolũ, quando non percipitur dimidia pars fructuum.* QVæſtio eſt, quid intelligatur nomine magnæ, & notabilis ſterilitatis, ob quam diminuenda ſit penſio quoad partem? Tunc quidem diminuenda eſt ſolum quando non percipitur dimidia pars fructuum, qui communiter ex eo fundo percipi ſolent. Quia hic defectus adeo grauis eſt, vt debeat penſio merito imminui. Sic nonnulli, quos affert Mol. *d.* 495. *n.* 2. quorum ſententiam fatetur eſſe probabilem.

412 *Non ſolum tunc diminuenda eſt penſio.* Non eſt imminuenda penſio ſolum tunc, quando non percipitur dimidia pars fructuum qui communiter ex eo fundo percipi aſſolent, ſed etiam quoties tertia fructuum pars qui communiter colligi ſolent, deficit. Quia defectus huiuſmodi grauis eſt colono. Ita Abbas, Nauar. citati à Mol. *ibid.* Diana *p.* 2. *tr.* 6. *reſ.* 17. cum Armilla, & Ioanne de la Crux.

413 *Nulla mihi ex his ſententia arridet.* Mihi verò nulla ex his arridet ſententia. Nam computatio, quæ fit ex ſola fructuum collectorum exiguitate, non videtur dare regulam ſufficientem ad hoc intentum. Finis enim legum illarum eſt colono ſubuenire, ne notabile damnum incurrat propter ſterilitatem, vel caſum fortuitum. Poteſt autem contingere, quod deficiat tertia, imo & dimidia pars ſolitorum fructuum, & tamen colonus damnum notabile non ſentiat, maius namque pretium, quo pauciores illi fructus in ſterilitate venduntur, compenſat in totum, vel in magnam partem fructuum defectum, quare non debet illi aliquid de penſione diminui, cum ob ſterilitatem nõ cogatur damnum notabile ſuſtinere. Exiſtimo igitur, tunc remiſſionem aliquam concedendam colono, quando ob paucitatem fructuum, deducto ſemine, & expenſis, ſi ſoluatur integra penſio, colonus vltra dimidium iuſti pretij lædatur, v.g. ſi pro penſione ſoluendi ſint decem tritici modij, & fructus adeo ſint pauci, vt deducto ſemine, & expenſis, quinque modij non maneant, tunc & non alias intelligitur damnum notabile ex conductione, & ſterilitate ſuperueniente ſentire.

## DVBIVM XCIII.

*An vbertas notabilis alicuius anni det ius locatori, maiorem penſionem exigendi, quam deducta fuerat in pactum.*

414 *Datum.* DAt quidem ius. Quia ſicut ſterilitas notabilis penſionem imminuit, ita vbertas notabilis debet dare ius locatori maiorem penſionem exigendi. Et quia ſicut locator ſentit damnum ex notabili ſterilitate, penſionem minuendo: ita debet ſentire commodum ex vbertate notabili, illam augendo. Sic communiter Iuriſtæ, quos affert. Molin. *diſputatio.495. numer.15.*

415 *Non dat* Minime dat. Quia *leg. Si merces, §. vis maior, ff. locati,* dicitur: *Modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.* Queis in verbis aperte ſupponitur, lucrum immodicum conductoris vtilitatem eſſe, & ideo patienter debere tolerare, ſi quando ſaltem notabile detrimentum non ſuſtinet, id ſolus ipſe totum patiatur. Ita Pincian. Pinel. Emanu. Suarez, Velaſc. Salic. & alij, quos adfert, ac ſequitur Rebell. *part. ſecund. de iuſt. l.14. q.9. n.1.* Sa *v. Conductio, nu. 12.* Fill. *tr.36. n.51.*

416 *Hoc longe verius eſſe crediderim.* Hoc longè verius eſſe crediderim. Nam ſterilitas fructuum damnum intolerabile miſero conductori affert, lucrum verò ingens nulli prorſus nocet, cum non ideo locator quicquam perdit penſionis ſibi promiſſæ. Voluit itaque lex miſero ſubuenire, ne ſuorum bonorum iacturam faceret ſine vlla prorſus commiſeratione, ac ſubſidio, non tamen neceſſe erat locatori ſubuenire, vt plus etiam lucraretur, quam ipſemet ſua contentus ſorte lucrari voluerat. Vnde argumentum illud à paritate rationis omnino eneruatur.

## DVBIVM XCIV.

*Si famulus durante tempore in contractu ſtatuto, ægrotet, poteſtne ſtipendium accipere pro eo tempore, quo ægrotarat, & non poterat famulari?*

417 *Poteſt, & debet.* POteſt, & debet. Quia per ipſum non ſtetit. Et quidem *leg. prim. §. Diuus Seuerus ff. de variis, & extraord. cognit.* dicitur: *Diuus Seuerus ab hæredibus Aduocati, eo mortuo, prohibuit mercedem repeti, quia per ipſum non ſteterat, quo minus cauſam ageret.* Ergo ſicut Aduocatus lucratur mercedem etiam obſequio non præſtito, ſic etiam famulus lucrabitur, quando per ipſum non ſtat; quo minus exerat miniſterium. Sic Innocent. Dominic. Salicet. apud Azor. *part. ſecund. libro ſecund. capite 39. quæſtio. quinta.* Speculat. Mari. Anton. Homobon. Graf. Nauar. & Genuenſ. apud Dianam *tom.1. tr. de controu. reſol.86.*

Nec debet, nec poteſt. Quia quando per locatorem ſtetit etiam ſine eius culpa, quod 418 rem locatam conductor habere poſſet ad eius *Nec debet,* vſum penſio aut merces non debetur pro rata *nec poteſt.* eius temporis, vt colligitur ex *leg. ſi vno. §. item cum quidam ff. locati.* Ergo ſimiliter de famulo aſſerendum. Ita Couarruu. *l.3. var cap. 13. numero octauo* Ioannes Andr. Abbas, Imola, Angel. Tabien. Sylueſt. & alij, quos affert, ac ſequitur Azor. *citat.* Mol. *d.493. nu.1.* Laym. Megala, Barbo. & alij, quos citat, & ſequitur Diana *vbi ſupra.*

Hanc ſententiam longè veriorem puto, ſi tamen intelligatur ſecluſo pacto explicito, vel 419 implicito, quo dominus ad id ſe obligaſſet. Lex *Auctoris* autem illa, qua prima ſententia nititur, non vr- *reſolutio.* get, quia illud fuit priuilegium Aduocatis conceſſum, vt colligitur ex *leg. poſt duos, Codic. de Aduocat.* Ex qua lege Azorius *p.3. l.8. c.14. de locat. q.2.* colligit, Aduocati hæredes ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato poſse exigere totius anni, quo Aduocatus obijt, ſalarium.

## DVBIVM XCV

*Quando locator obligat in contractu conductorem ad meliorationem rei conductæ faciendam, faciendane eſt melioratio ſumptibus locatoris?*

CErtum eſt, ſi in pacto explicetur, vt conductor ex ſuo faciat, ita eſse obſeruan- 420 dum, ſi hoc vero non explicetur, ex coniecturis *Quæſtionis* indagandam eſse contrahentium mentem, *ſtatus.* quibus ceſsantibus, quæſierim, nùm gerenda ſit illa melioratio expenſis locatoris, an cōductoris.

Facienda eſt locatoris ſumptibus. Quia domi- 421 nus eſt fundi, & perpetua in eum cedit melio- *Facienda* rationis vtilitas. Sic Mol. *d.496. n.4.* citans Ve- *locatoris* laſcum. *ſumptibus.*

Non facienda expenſis locatoris, ſed 422 conductoris. Quia qui alium ex cōtractu obli- *Non eſt fa-* gat ad aliquid faciendum, nullo addito, cenſetur *cienda lo-* obligare ad ea, quæ neceſsaria ſunt ad rei exe- *catoris* qutionem, Quare cum ſumptus neceſsarij ſint *ſumptibus.* ad meliorationem, qui conductorem obligat ad meliorandum rem conductam, ſi aliud non explicet, intelligitur ad ſumptus neceſsarios obligare. Ita Lugo *de iuſt. to.2. d.29. n.69.* Gregor. Lopez, & alij citati à Mol. *vbi ſup.*

Verius mihi. Quemadmodum ſi quis alium obliget in contractu ad ſoluendam penſionem 423 in tali loco, cenſetur eum obligare ad ſumptus *Verius hoc* neceſsarios, vt penſio ad talem locum transfe- *mihi.* ratur.

DVBIVM

### DVBIVM XCVI.

*Vſufructuarius locat fundum in quinquennium eaque, ſpe conductor fundum meliorat, & vſufructuario, ſecundo anno, v. gr. moriente locatio reſoluitur, & fundum ad dominum proprietatis reddit: Hoc in caſu conductor poteſtne exigere meliorationis valore?*

424 *Non poteſt exigere.* EXigere non poteſt. Quia obſtat *lex ſi quis domum, verſ. idem quærit, ff. locati vbi de conductore* dicitur, *Idem quærit, ſi ſumptus fecit in fundum, quaſi in quinquennium fruiturus, an recipiat? Et ait non recepturum, quia hoc euenire poſſe, proſpicere debuit*. Sic aliqui, quos refert. Molina *d.*496. *num.*5.

425 *Exigere poteſt.* Poteſt exigere Quia iniquum eſt proprietarium ſumptibus cōductoris locupletari. Et quia ſi vſufructuarius expenſas illas vtiles feciſſet, eius hæredes exegiſſent vtique à proprietario earum æſtimationem. Ita Aluar. Valaſc. *de iure emphyteuſ quæſt,* 25.*num.* 35. aſſerens illam deciſionem *legis, ſi quis domum* vt rationi non conſonam in praxi apud iudices Luſitanos non obſeruari. Mol. *vbi ſup.*

426 *Auctoris reſolutio.* E quidem his applaudens, exiſtimo textus illius alium eſſe cenſum. Non enim agebatur ibi an conductor poſſet exigere à proprietario expenſas, ſed an poſſet exigere ad hærede vſufructuarij expēſas illas, quas *quaſi in quinquennium fruiturus*, hoc eſt, ſpe vſus futuri per quinquennium fecerat? Et Iureconſultus reſpondit: ſi locator locauit, quaſi eſſet proprietarius, poſſe exigi ab eius hærede; quia decepit conductorē, & dedit expendendi occaſionē. Si verò nō decipit, nō poſſe exigi, ſed ſibi debere imputare conductorem, qui ſcire debebat, mori poſſe vſufructuarium, & reſolui locationem. An verò poſſit exigere expēſas illas à proprietario, non definit lex ibi. Et quidē dicēdū eſt, ſi expēſę illę reddūt fundū meliorē ad tres ſaltē, vel quatuor annos ſequentes, eodem modo poſſe exigi per conductorem à propietario, quo poſſent exigi per hæredem vſufructuarij, ſi vſufructuarius eas feciſſet expenſas. Quia per locationem tranſtulit vſufructuarius ius ſuum in conductorem; quare non minus obligari poterit proprietarius ad ſoluendum valorem meliorationis factæ per conductorem, ſi re vera eſt vtilis proprietario, quam ſi facta fuiſſet per vſufructuarium.

### DVBIVM XCVII.

*An liceat, locatori, obligare conductorem, ad ſuſcipiendum in ſe omne rei locatæ periculum?*

MInimè licet. Quia ſi obligaretur conductor ſuſcipere in ſe omne periculum rei locatæ, illa nam iam eſſet locatio, ſed venditio. Sic Sotus *l.*9.*de iuſt. quæſtio.*9. *articulo.* 2. *ad* 3. 427 *Non licet.*

428 *Licet quidem.* Licet omnino. Quia abſque eo, quod conductor acquirat dominium rei conductæ, poteſt eius periculum ſuſcipere; vnde ſi res non perit, non poteſt pretium reddere, ſed rem ipſam, ita Nauar. *de vſur. numer.* 35. Azor. & alij, quos refert, ac ſequitur Lugo *to.*2. *de iuſt. d.*29.*n.*73.

429 *Cum his opinor.* Cum his opinor, iudicans, pactum illud non eſſe contra, ſed præter ſubſtantiam locationis. Erit tamen contra iuſtitiam, niſi propter illud onus penſio à conductore ſoluenda imminuatur.

### DVBIVM XCVIII.

*An ſi licitus ſit contractus, quo aliquis locat gregem, vel animalia ad vſum, & fructum ex iis percipiendum eo pacto, vt conductor teneatur numerum integrum conſeruare, aliis in defectum morientium ſubrogatis?*

430 *Non eſt licitus.* LIcitus non eſt. Quia ſapit vſuram: eſt enim potius mutuum, quam conductio, ſi integer numerus animalium cogitur reddere, licet aliqua depereant. Sic aliqui, quos preſſo nomine memorat Lugo *to.*2. *de iuſt. d.*29.*n.*74. Nec improbat omnino Azor. *part.* 3.*lib.*8.*c.*12.*q.*3.

431 *Licitus eſt.* Licitus eſt. Quia id, quod locatur, eſt grex, qui quidem ſemper perſeuerat idem, moraliter loquendo, variatis ſucceſſiue animalibus, & ſemper manet ſub dominio locatoris. Itaque non poteſt eſſe vſura, vbi non eſt mutuum, prout in præſenti non eſt, cum dominium non tranſeat in conductorem, ſed vſusfructus. Ita Card. de Lugo *citatus* Molina *d.*503. Filliuc. *tr.*36.*n.*83. & alij communiter.

432 *Hos ſequor.* Quos ſequor, monens requiri ad iuſtitiam huius contractus, vt fructus, qui ex grege remanent conductori, deductori, deductis expenſis omnibus, penſioni ſoluendæ æquiualeant, & oneri alia animalia ſubrogādi in defectū morientium, pręſertim ſi habeat etiam hoc onus, quando propter ſterilitatem, vel tempeſtatem multa malia pereunt.

## CAPVT XII.

### *Circa Emphyteuſim & Feudum.*

### DVBIVM XCIX.

*An Emphyteuta ſeu feudatarius debeat priuilegiis domini gaudere?*

433 *Quæſtionis ſtatus.* LIcet Emphyteuſis valde affinis ſit locationi, & quatenus ab ea differt magis ad Iuriſtarum, quam ad Theologorum tribunal ſpectet, nonnulla tamen dubia attexam, quæ ad conſcientiæ cauſam magis pertinere videbitur. Simul autem de Feudo tractationem exponam, nam Feudum parum ab Emphyteuſi differt. In primis igitur requiram, num emphyteuta, ſeu feudatarius debeat priuilegiis domini gaudere. Exemplum eſt, cum emphyteuta ab Eccleſia, vel ab alio exempto accipit in emphyteuſim prædia, quæ à tributis & vectigalibus erant exempta, an eandem apud ipſum retineant?

434 *Gaudet priuilegiis.* Gaudet quidem domini priuilegiis. Quia *l. Priuatæ,* & *l. penult. C. de excuſ. muner. lib.* 10. emphyteuta gaudet immunitate fiſco conceſſa: Ergò idem erit dicendum de emphyteuta Eccleſiæ, cum Eccleſia & fiſcus ferè ſemper æquiparentur. Sic Bartol. *ad l. Priuatæ,* Iaſon *in Auth. Quas actiones* Duennas, *regul.* 100. *ampliat.* 3. Syluan. *conſ.* 9. *numero* 9. Fachin. *l.* 1. *controu. c.* 91. & alij.

435 *Non gaudet.* Minimè gaudet. Quia onus vectigalis, ac tributi Regij ſoluendi non imponitur emphyteutæ ob bona in emphyteuſim accepta, ſed ob vſumfructum, & dominium vtile ex his bonis perceptum, qui vſufructus, & dominiũ non eſt Eccleſiæ, ſed emphyteutæ, ac proinde Eccleſia hac exactione non læditur. Ita Rolan. *conſ.* 18, Petr. Nuñez. de Auendaño *tr. de exequen. manda. cap.* 15. *numero* 33. Menoch. *de arbitrar. caſu.* 180. *num.* 8. Pluresque copioſius refert *centur. ſext. caſu* 562. *numero* 22. Molina *tract. ſecund. d.* 446. & 456. Leſſi. *lib.* 2. *de iuſt. c.* 24. *dub.* 8. *n.* 44. Laym. *l.* 3. *ſect.* 5 *tr.* 4. *ca.* 23. *n.* 5.

436 *Probabilius hoc mihi.* Hanc ſententiam probabiliorem eſſe reor, Nec enim ei obeſt textus ex *l. Priuatæ,* & *l. penult.* ſolũmodo quippe probat emphyteutã fiſci audere fiſci priuilegiis quoad exemptionem numerum ſordidorum, de quibus fit mentio in *l. Maximarum. Cod. eodem titulo* nihil tamen de exemptione tributorum, ac vectigalium decidit, vt ipſe Bartol. in *lege. penultim.* exponit

### DVBIVM C.

*An emphyteuta, & feudatarius obligentur rem in emphyteuſim, ſeu feudum acceptam meliorare?*

OBligantur quidem. Quia hic contractus 437
meliorationem ſignificat, & in eum *Obligantur*
finem conceditur. Sic Franc. Sarmiento *lib.* 0 *quidem.* *tertio ſelect. capite quarto* Fachin. *lib. prim. controuerſ. cap.* 92. Hinc Doctores hi inferunt, finita emphyteuſi, vel feudo non adſtringi dominum proprietatis meliorationes factas in re emphyteutica, aut feudali ſoluere, ſed ipſi cedere; nam hæ meliorationes debitæ erant ex vi contractus.

Non obligantur, rem acceptam in emphy- 438
teuſim, vel in feudum meliorare, ſed ſolum *Non obli-*
illam conſeruare, nè eorum culpa deterior red- *gantur.* datur. Quia licet res in emphyteuſim olim conceſſa fuerit, vt melioraretur, ideóque res incultæ, & infrugiferæ in emphyteuſim concedebantur, & modo ob eundem finem plerũque fiat conceſſio: attamẽ obigatio meliorandi niſi expreſſe inter partes conuentum ſit, inducta non cenſetur: aliàs meliorationes faciẽdæ ex vi huius contractus determinatæ eſſent, cum abſque determinatione obligatio ſtare non poteſt. Ità ex communi ſententia Rebel. *parte ſecunda de obligat. iuſtit lib. tertio. qu. ſecund. fine.*

Hoc probabilius eſſe reor. Vnde in foro, fini- 439
ta emphyteuſi, vel feudo abſque culpa em- *Hoc mihi*
phyteutæ, vel feudatarij, poſſe eos repetere *verius.* à domino meliorationes poſſe; quia non ipſi domino, ſed emphyteutæ, aut feudatario cedunt. Gloſſ *ad l. ſed ſi quis verſ. Reficere, ff. de vſufr.* Iaſon *lege ſecunda Cod. de iure emphyt* Molina *d.* 456. Layman. *l.* 3. *ſect. quinta tr.* 4. *c* 23. *num.* 7.

### DVBIVM CI.

*An emphyteuta, vel feudatarius reddens deteriorem rem acceptam incidat in commiſſum; vnde poſſit, domino priuari?*

PRofectò licet emphyteuta, aut feudatarius 440
non obligentur, rem in emphyteuſim, *Certum*
vel in feudum acceptam meliorare: obli- *ſuppono.* gantur tamen, ne illam deteriorem reddant: alias tenebuntur compenſare domino, quanti ſua intererat rem deterioratam non eſſe, vt conſtat ex *leg. diuortio, §. ſi fundum, ff ſolut. matrimonio,* & tradit Iaſon *conſ.* 17. *col.* 1. *lib.* 1. Molina *d.* 457. Rebellus *tom ſecund. de iuſt. lib.* 13. *q.* 3. Quæſierim verò num ob hanc cauſam emphyteuta, aut feudatarius incidant in commiſſum, priuarique à domino poſſint?

Emphyteuta vel feudatarius ſæcularis dete- 441
riorem

Non incidunt in commiſſum riorem reddens rem in emphyteuſim, vel feudum acceptam non incidunt in commiſſum. Quia hæc pœna nullibi ſtatuta eſſe videtur: Sic Immola, Iaſon, & alij, qnos refert Aluar. Valaſcus *conſul. 50. n. 5*. qui horum ſententiam reputat eſſe probabilem.

442 *Incidunt plane.* Incidunt in commiſſum, & poſſunt à domino priuari quia rationi conſonum non eſt obligare proprietarium ad perſeuerandum in contractu, cum ex eius perſeuerantia detrimentum accipiat. Ita Bartol. *ad l. diuortio, §. ſi fundum. ff. ſoluto matrimonio.* Menoch. *de arbitrar. lib. ſecund. caſu. 78. numer. ſecund.* aſſerens eſſe omnium. Molina. *d. 457.* Laym. *l. 3. q. 5. tr. 4. c. 23. n. 7.* & alij.

443 *Auctoris reſolutio.* Equidem de emphyteuta Eccleſiæ nullus eſt, qui dubitet, quia expreſſe definitum eſt. *Auth. de alien. & emphyteu. Authent. Qui rem Codic. de ſacroſan. Eccle.* Item de feudatario videtur Sic videtur expreſſum *in cap. Federicus, §. quicumque, de pace tenenda* vbi habetur, Vaſallum re feudali abutentem priuandum eſſe. De emphyteuta verò ſæculari idem iudico. Quia nulla eſt ſpecialis ratio, ob quam emphyteuta Eccleſiæ priuetur ob deteriorationem factam, quæ in ſæculari emphyteuta non procedat. Attamen vt locum habeat doctrina; hæc tria debent concurrere vt Bald. annotauit *Authent. Qui rem, numero ſecundo Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quem cæteri ſequuntur. Primò deteriorationem contingere debere in ipſa re, non autem in fructibus. Secundò, ex culpa non ſolum lata, ſed leui, quia contractus communis eſt vtrique. Tertiò, debere eſſe deteriorationem notabilem; nam cum hæc pœna grauis ſit, graui detrimento niti debet.

## DVBIVM CII.

*Accepit quis in emphyteuſim, aut feudum perpetuum, vel ad plures vitas oliuetum verbi gratia Poteritne, irrequiſito domino, oliuas euellere, & loco illarum vites planare, quæ ſecundum communem hominum æſtimationem vtiliores ſint?*

444 *Poterit quidem.* POterit quidem. Quia illa non eſt alienatio aut deſtructio, ſed in melius commutatio, & quia quod proprietario non nocet, & emphyteutæ, vel feudatario prodeſt, permitti debet. Sic Aluar. de Valaſco. *conſult. 50. numer. vltim.* Aluar Pinel. *lib. 1. de bon matern. 2. p. n. 52.*

445 *Non poterit.* Minimè poterit. Quia negari non poteſt, rem emphyteuticam, aut feudalem deſtrui, & conſequenter emphyteuſim aut feudum perire. Ità Iul. Clar. *l. 4. ſentent. §. emphyteuſis, q. 26.* Arias Pinel. *l. 1. Codic. de bonis matern. p. ſecund. n. 60.* Molina *lib. 1. de primogen. cap. 22. num. 7.* & noſter Molina *tr. 2. d. 457.*

446 *Idē affirmo* Idē affirmo probabilius. Nam quod loco oliueti vinea ſubrogetur, non impedit emphyteuſis antiquæ interitum, ſed, ſolùm præſtat, vt alia de nouo poſſit inſtitui; quam dominus olineti creare non tenetur, quia nemo adſtringitur loco propriorum bonorum alia bona etſi meliora accipere: ideóque proprietarius poterit emphyteutam ad intereſſe cogere cum oliuarum renouatio ferre ſit impoſſibilis.

## DVBIVM CIII.

*Si ab hoſtibus res emphyteutica, aut feudalis occupetur, eo tempore emphyteuta, aut feudatarius habetne obligationem penſionis ſoluendæ?*

HAbent quidem. Quia caſus fortuiti, ex quibus res emphyteutica in integrum nō perit, ad emphyteutam pertinent. Certè bellum caſus eſt fortuitus, neque tamen ob illius cauſam res perit, vt ſupponimus: Ergo ob hunc caſum fortuitum emphyteuta non excuſatur. Sic ex legum prætextu Conan. *l. 7. comment. iur. c. 12. n. 7.* Molina *d. 454.* 447 *Habent quidem.*

Minimè habent ſoluendæ penſionis obligationem. Quia in eo euentu fundum emphyteuticum emphyteuta non poſſidet. *lege cum vnus, §. vltim. ff. de bonis authorit. Iudic. poſſidend.* ibi: *Aut propter latrones pecunia non poteſt poſſideri, recte dicitur, non eſſe, quod poſſideatur.* At obligatio ſoluendi non naſcitur ex eo tantum, quod fundus exiſtat, ſed ex eo, quod exiſtat poſſeſſus ab emphyteuta: Ita Abbas, *ad capit. Potuit, de locato,* Iaſon *ad leg. prim. num. 91. Codic. de iure emphyteut.* Iul. Clar. *l. 4. ſent. §. emphyteuſis. q. 8. num. 6.* Aluar. Valaſc. *de iur emphyt. q 27. nu. 13.* Fachine. *l. 1. c. 90.* & alij. 448 *Non habēt*

Verius hoc eſſe crediderim. Nam comparatione emphyteutæ perinde eſt non poſſidere fundum, ac ſi fundus integrè periiſet: Ergò illo tempore, quo ceſſat poſſeſſio, ceſſat ſoluēdi penſionem obligatio, & emphyteuſis ſuſpenditur. 449 *Verius hoc mihi.*

## DVBIVM CIV.

*Cum ob infortunium, aut ſterilitatem fructus rei emphyteuticæ non colligitur, eſtne eam cauſam penſio imminuenda?*

QVando modica eſt penſio, communis ſententia teſtatur diminuendam non eſſe; maximè cum ſterilitas vnius anni aliorum abundantia poſſit compenſari. Quæſierim autem quid, cum penſio fructibus correſpondet, an ſit diminuenda? 450 *Status quæſtionis.*

Diminuenda eſt. Quia æquitas non patitur, vt cum iactura emphyteutæ proprietarius locupletetur. 451 *Diminuenda eſt.*

cupletetur Sic Aluar. Valaſc. *de iur. emphyteut. quæſt.* 17. *num.* 11. Iul. Clar. *lib.* 4. *ſentent.* §. *emphyteuſis*, q. 8. Nauar. *ſum. capite* 17. *num.* 190. Gregor. Lopez *ad l.* 28. *v. octaua parte.* Fachin. *lib.* 1. *controu. c.* 89

452 *Non eſt diminuenda.* Non eſt diminuenda. Quia per accidens eſt quod penſio ita grauis fuerit conſtituta, neque ob illius cauſam cenſendi ſunt, receſſiſſe à diſpoſitione legis contrahentes illi cum non expreſſerint, ita Caſtro Palao *de iuſt. tr.* 32. *d.* 10. *pun.* 5.

453 *Idem affirmo.* Cui quidem adhæreo. Nam etſi inſpecta æquitate, primam ſententiam præferre poſſem & deberem; at ſecluſa conſuetudine nullam reor obligationem eſſe diminutionem faciendi. Etenim *lex* 1. *Codic. de iure emphyt. &* *paragrapho Adeo, inſtitut. de locatione* apertè decidunt, manente re etiam in parte, ſoluendam eſſe penſionem. Ergò ob ſterilitatem excuſari emphyteuta non poterit.

## DVBIVM CV.

*An obligatio emphyteutæ, vel feudatarij ſoluendi penſionem requirat Iudicis ſententiam?*

454 *Requirit quidem Iudicis ſententiam.* REſidet in emphyteuta, ac in feudatario obligatio ſoluendi proprietario penſionē. Quæſierim vero, an hæc obligatio ipſo iure eos adſtringat, an Iudicis requirat ſententiam? Requirit quidem. Quia ſi emphyteuſis laica ſit, & triennio non ſoluatur penſio conſtituta, cadit emphyteuta in commiſſum, hoc eſt, committit culpam, ob quam merito ab emphyteuſi expelli poteſt. At priuatio huiuſmodi ipſo iure inducenda non eſt abſque manifeſta lege, lex vero non apparet, cuius præſcripto priuatio hæc ipſo iure incurratur: quin imo indicatur à lege ſententiam Iudicis requiſitam eſſe, ſiquidem vtitur verbo futuri tēporis, vt patet ex *leg.* 2. *Cod. de iure emphyt.* ibi: *cadat iure ſuo*, id eſt ſententiam iudicis ſubſecuta & in *Authent. de alienat. & emphyt.* §. *ſi vero*, ibi: *Extraneus Fiet à iure ſuo*, quod poſt ſentētiam rectè intelligi poteſt. Sic Speculat. *tr. de emphyt. q.* 41. Paul. Caſtrenſ. *conſ.* 68. *lib.* 2. Ludouicus. Rom. *conſ.* 212. & alij, quos refert, ac ſequitur Tiraquel. *ad leg. ſi vnquam. Codic. de reuocanda donat. v. Reuertatur. num.* 187. Sà *v. emphyteuſis, n.* 1.

455 *Sententiam Iudicis non requirit.* Emphyteuta ipſo iure priuatur, niſi triennio penſionem non ſoluat. Quia eſt verbnm *Cadat*, & verbum *Fiet* indifferentia ſint, vt priuationem inductam ex lege, vel inducendam iudicis officio ſignificent, attamen conuenientius priuationem ex lege indictam innuere videntur, ſita Iaſon *ad leg. ſecund. num.* 14. *C. de iure emphyt.* Alexand. *conſ.* 6. *lib.* 3. Decius *conſ.* 146. Andr. Fachin. *lib prim. cap.* 93. Iur. Clar. §. *emphyteuſis*, *q.* 9. Layman. *l.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 4. *cap.* 23. *nnm.* 8. Molina *d.* 453. Rebel. *p.* 2. *de iuſt. lib.* 13. *q.* 7.

456 *Hanc ſententiam probabiliorē eſſe reor.* Hanc ſententiam probabiliorem eſſe iudico, cuius explico fundamentum, Nam ſi attentè inſpiciatur, verbum illud *Cadat*, & *Fiet* non ſunt indeterminata, vt ſignificent priuationem ipſo iure inductam, cum non ad iudicem dirigantur, ſed ad ipſum reum, qui virtute legis cadere debet & fieri extraneus à iure ſuo.

## DVBIVM CVI.

*Quando emphyteuta venditioni emphyteuſim exponit, non expectata domini venia, vt incidat in commiſſum, ſufficiatne traditionem geri fictam per clauſulam conſtituti?*

EMphyteuta, irrequiſito domino poteſt venditioni Emphyteuſim exponere, dū tamen ei denunciet, an velit pro eodem pretio rem accipere, teneturque per duos menſes eius reſolutionem expectare. Quod ſi ea reſolutione non expectata, & à fortiori denunciatione non præmiſsa, emphyteuſim vendat, venditio eſt nulla & emphyteuta incidit in commiſſum. Vt autem præfata pœna locum habeat, debet venditio ex ſe valida, eſſe, ac venditionem traditio ſubſequi. Quęſtioni autem do, an ſufficiat, traditionem eſſe fictam per clauſulam conſtituti, vel an debeat eſſe realis? 457 *Nonnulla præmitto.*

Sufficit eſſe traditionem per clauſulam conſtituti. Quia per eam dominium, & poſſeſſio in emptorem transfertur, & vera alienatio perficitur, dominóque iniuria irrogatur. Sic Roland. à Valle *con.* 51. *lib.* 2. Iul. Clarus §. *emphyt. q.* 13. Tiraquel. *de vtroq; retract. tit.* 1. *gloſſa* 2. *n.* 4. Matienz. *l.* 1. *tit.* 10. *gloſ.* 6. *n.* 4. Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 80. & alij plures communiter. 458 *Sufficit quidem ficta traditio.*

Non ſufficit fictam fieri traditionem. Quia licet traditio per clauſulam conſtituti eoſdem opererur effectus quoad dominij translationē ac vera & realis traditio: at negari non poteſt, traditionem illam ſolùm fictione iuris traditionem eſse, ac proinde non veram neque realem. Cum autem ad incurrendam pœnam caducitatis requiratur venditio, traditione ſubſequuta, intelligi debet de traditione vera, ac reali, non de traditione ficta. Ita Anton. Gomez *ad leg.* 45. *numero* 95. Rebellus *de iuſtit. parte ſecunda lib.* 13. *qu.* 4. *a.* 7. & alij quos refert Fachineus *l. ſeptimo capite* 86. 459 *Non ſufficit.*

Verùm etſi prima ſententia, rigore iuris inſpecto, vera ſit, crediderim, contrariam æquiorem eſſe, & in iudicando amplectendam, vt teſtatur Iul. Clar. *ibid. n.* 4. Certè in pœnis mitior eſt facienda interpretatio, maximè aduerſus reum. 460 *Verior ſententia hæc.*

## DVBIVM CVII.

*An poſſit quis permutare vel donare emphyteuſim domino irrequiſito?*

POteſt quidem quilibet irrequiſito domino, emphyteuſim Pignori, hypothecæ, alterive ſeruituti ſubiicere. Titulo hæredis, legati, aut nomina- 461 *Certa ſuppono.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

nominationis conceſſę, poteſt irrequiſito domino emphyteuſim alienare. Non poterit autem emphyteuſim ad longum tempus locare; ad breue tempus poteſt, & ad longum emphyteuſis commoditates, in his Doctores conueniunt. Diſsentiunt tamen quoad permutationem, & donationem quæſtioni committo, an poſſit quis emphyteuſim commutare vel donare irrequiſito domino?

462 *Poteſt permutare & donare.*

Poteſt quidem permutare, dummodo, ante traditionem moneat proprietarium, vt videat, an nouus emphyteuta ſit perſona idonea, eumque in poſseſſionem mittat, ab eoque laudemium accipiat. Quia emphyteuſis alienatio ob pretium acceptum, vel ob rem, quæ loco pretij habeatur, videtur interdicta *lege tertia & vlt. Codic. de iure emphyteut.* Poteſt item, irrequiſito domino, emphyteuſim donare, dummodo ante poſseſſionem moneat dominium, vt nouum emphyteutam in poſseſſionem mittat, ſi nihil habet, quod ei legitimè opponat. Quia nulla eſt cauſa monendi dominum ante donationem, cum ipſe nullum ius habeat pręlationis comparatione donatarij ab illo deſignati. Non enim tenetur ipſi donare: neque eius iuri ac poteſtati exigendi penſionem præiudicatur, cum nouus emphyteuta ab eo inueſtituram accipiat. Sic de permutatione Syluest. *verb. emphyteuſis, quęſt.* 17. Iul. Clarus *ibi, quaſt.* 17. Gregor. Lopez, *lege vltim. titul.* 8. *parte quinta* Molina *d.*461 Leſſius *lib. ſecund. capite* 24. *dub.* 9. *numer.* 54. Layman. *l.* 3. *ſectio. quinta tract. quart. cap.* 23. *num* 9. De donatione verò ſic Gloſ. *ad leg. vltim. Cod. de iure emphyt. v. emphyteuſis, quaſtion.* 15. Gregor. Lopez *ibi, v. La venta* Molina *d.*461. Leſſius, & Laym. *vbi ſuprà.*

463 *Nec permutare, nec donare poteſt.*

Nec permutare, nec donare, quis poteſt domino non requiſito conſenſu emphyteuſim. Quia *lege tertia Codic. de iure emphyt.* inquit Imperator, *minimè licere emphyteutæ ſinè conſenſu domini meliorationes ſuas alijs vendere, vel ius emphyteuticum transferre.* Quæ verba de qualibet translatione ſiue titulo oneroſo, ſiue lucratiuo intelligi debent. Neque refert, ſi dicas, conſenſum domini poſt celebratum contractum permutationis, aut donationis intelligendum eſſe, quia Iuſtinianus expreſſe de denunciatione ante contractum loquitur, & æque venditioni, ac translationi illam requirit. Conſtat autem in venditione requirendum eſse dominum ante contractum celebratum. Ergò etiam in donatione, ac permutatione, ac qualibet translatione alia. Ita Bartol. *ad legem vltim.* Gloſſa *lib. prim. Codic. de fund. patrimonial.* Fachin. *lib. tertio contr on. cap.* 97. Rebel. *p. ſecund. de oblig. iuſtit. lib.* 13. *q.* 5. *n.* 1. & alij.

464 *Sententiã hanc veriorem eſſe puto.*

Equidem licet prima ſententia communior videatur, & ſecure in foro cõſcientiæ, & externo amplecti poſſis; veriorē tamē exiſtimo eſse ſecundam, quam ita confirmo: Contraria ſententia adſtruit, ante traditionem, ac poſseſſionem rei emphyteuticæ requirēdum eſse vt videat, an perſona idonea ſit, cui donatur, vel quocum permutatur emphyteuſis. At ſi ante permutationem, vel donationem celebratam requiſitio fieret, domino commodior eſset, cum liberius poſſet iudicium ferre de noui emphyteutæ idoneitate, vtpotè qui nulli eius iuri quæſito derogaret, ipſi etiam emphyteutæ minus grauis, & damnoſa eſset. Negari enim non poteſt, dure laturum, donationem aut permutationem factam ſibi reuocari; quod non ita ægre ferret, ſi nulla donatio, aut permutatio facta eſset: occaſióque non leuis excitandi lites præſtatur.

---

## DVBIVM CVIII.

*An ſi Princeps aliquem legitimaret, vt in feudo ſuccedat: eius diſpoſitio habeat effectum, irrequiſito Domini?*

465 *Habet effectum.*

SI Princeps aliquem filium naturalē, ſpuriūue à feudo quidem excluſum, irrequiſito domini conſenſu legitimaret, vt poſset in feudo ſuccedere, eius diſpoſitio effectum habet, quia ea eſt poteſtas Principis, vt valeat ſuis legibus legitimatos à ſucceſſione feudi excludentibus derogare. Sic Gloſ. *ad* §. *Naturalis*, Curtius iun. Alexand. Roland. à Valle, & alij plures quos refert Fachin. *lib. ſeptim. capit.* 49.

466 *Non habet effectum*

Eius diſpoſitio non habet effectum, quia ex huiuſmodi Principis diſpoſitione domino graue præiudicium infertur, ita alij plures relati à Fachineo *vbi ſuprà.*

467 *Vtramque ſententiam ad concordiam adduco.*

Ego autem ex ipſo Doctore vtramque ſententiam concilio. Prior ſententia vera eſt, ſi grauis cauſa, ac publica intercedat vtilitas. Nam hac interueniente, non ſolum Princeps poterit ſuis in legibus diſpenſare: verùm iuri quæſito alteri derogare, *argum. lege quinta paragrapho vltimo, ff. de iniur leg. Ædificari. C. de opere. publ.* & tradit Decius *cap. Quę in Eccleſiarum, numer.* 19. *de conſtitut*, Abbas *n.* 11. Felin. *nu.* 26. At hac cauſa ceſsante nullum in hac parte effectum legitimatio habebit, quia abſque cauſa nequit Princeps ius alteri quæſitum tollere, quamuis poſſit ſuis in legibus diſpenſare. Conar. *l.* 3. *var. capite.* 6. *num.* 8. Zaſius *conſ.* 20. *n.* 7. An dreas Gaill. *l.* 2. *obſernat.* 56.

---

## DVBIVM CIX.

*An in agnatorum præiudicium legitimatio habeat effectum ad emphyteuſis, ſeu feudi ſucceſſionem?*

468 *Habet quidem.*

HAbet quidē, quia agnati, quibus ex antiqua inueſtitura cõpetit ſucceſſio huiuſmodi, nullum ius quæſitum habent, ſed quærendū. At iuri quærendo, & in ſpe facilius derogatio contingit. *l. vlt. C. de adquir. poſſeſ. l. Qui autem, ff. qua in fraud. credit. l. ſi ſponſ.* § *ſi maritus, ff. de donat. inter vir. & vxorem.* Præterquam quod Princeps non tollit ius vllum agnatis, ſed differt; & caſu quo tollat, non tollit directè, ſed indirectè, quatenus ab illegitimo remouet ſucceſſionis obſtaculum.

Sic

Sic Decius *conſil.* 269.*num.* 10. Alciat. *conſil.* 171. Iul. Clarus §. *Feudum*, *q.* 82. Rolandus à Valle *conſ.* 3.*n.* 142.*l.* 1.

469 *Non habet.* Non habet effectum. Quia Princeps nequit pro libito alteri ſuum ius auferre. At agnati ius ſuccedēdi debent deficientibus legitimis filiis ex primo feudi inſtitutore, quod ius non eſt tantum in ſpe, & futurum, ſed præſens, & certum. Ergò illi Princeps derogare non poteſt. Ita Andreas Gayll. *l. ſecundo obſeruat.* 142.*numero* 15. Menoch. *conſ.* 181.*numero* 24.*libr. ſecundo & conſil.* 202.*num.* 168. *l.* 3. Fachin. *l ſeptim. controu. c.* 50.

470 *Auctoris reſolutio.* Exiſtimo ſtāte cauſa graui, & publica, poſſe Principem legitimare quemquam, vt in præiudicium agnatorum legitimatus ſuccedat. At ea ceſſante contrarium iudico aſſerendum. Porrò contrariæ ſententię argumentum procedit de iure incerto futuro. Neque verum eſt, nullum agnatis tolli ius ex hac legitimatione, cum ab illis tollatur feudi poſſeſſio, viuente legitimato, quod ius etiam indirectè non eſt permittendum tolli.

---

## DVBIVM CX.

*Si ſit emphyteuſis, aut feudum priuati, & concedatur alicui pro ſe eiuſque liberis: comprehenduntur ne illegitimi naturales?*

471 *Non comprehenduntur.* NOn cōprehenduntur. Quia *leg. Filium, ff. de iis, qui ſui, vel alieni iuris ſunt*, definitur, ſi ium eum eſſe qui ex viro & vxore natus eſt. Ergò nomine filij illegitimus comprehendi non debet, maximè in materia odioſa, & præiudiciali, ſicuti eſt emphyteuſis ſucceſſio; præiudicat enim concedenti, ad quem difficilius dominiū vtile reuertetur. Sic Decius *ad caput In præſentia*, *num.* 42. *de probation.* & *ibi*, Berous, *numero* 325. Aurel. Corbul. *de iure emphyt. cap.* 12.*n.* 59. alijque apud ipſos.

472 *Comprehenduntur plane.* Naturales illegitimi, legitimis deficientibus, comprehenduntur, Quia *leg. ex facto, paragrapho ſi quis rogatus, ad Trebellian.* inquit Conſultus: *ſi quis rogatus fuerit, ſi ſine liberis deceſſerit vt reſtituat hæreditatem, Papinian. ſcribit, etiam naturalem filium efficere, vt deficiat conditio.* Ecce qualiter naturalis filius nomine filiorum comprehenditur, & ad ſucceſſionem: filiis legitimis deficientibus, admittitur. Ita Molina *d.* 475. Fachin. *l.* 8. *controuerſ. capite* 98. & alij antiquiores quos refert Iul. Clarus *paragrapho emphyteuſis quæſtione* 30.

473 *Hanc ſententiam amplector.* Hanc ſententiam vti communiorem amplector, procedere autem iudico, cum mens concedentis emphyteuſim nequit inueſtigari. Nam prius cenſeo examinandas eſſe circumſtantias conceſſionis, & ex illis inueſtigandum an voluerit naturales filios comprehendere ſicuti dixit Vlpian. *ad leg. ex facto, paragrapho ſi quis rogatus.* Mihi autem quoad naturales liberos attinet voluntatis quæſtio videbitur eſſe, de quibus liberis teſtator ſenſerit ſed hoc ex dignitate, & voluntate, & conditione eius, qui fideicommiſit accipiendum eſt, vti aduertit Fachin *vbi ſuprà.*

---

## DVBIVM CXI.

*An Fœmina ſemel ad feudum admiſſa, eo, quod maſculus deficiebat, ſi poſtmodum naſcatur illius natiuitate ſit excludenda?*

CErtum eſt, fœminas, earumque filios à feudi ſucceſſione excludi, niſi expreſſe in inueſtitura admittātur. Porro ſi in feudo nullū ſit pręſtandū perſonale obſequiū, vel quod pręſtandum ſit, à fœmina præſtari poteſt, ad ſucceſſionem feudi admittitur in feudo fœmineo, id eſt, quod primo fœminæ fuit conceſſum. At euentu, quo fœminæ admittuntur ad feudum, intelligendæ ſunt admiſſæ, deficientibus maſculis. Iam requiro, num fœmina ſemel ad feudum admiſſa, eo quod maſculus deficiebat, ſi poſtmodum naſcatur, illius natiuitate ſit excludenda? 474 *Certa reſolo.*

Ita plane? Quia *capite primo. de eo, qui ſibi, & hæredibus ſuis maſculis, & fœminis, ex libro ſecund. titul.* 17. dicitur, *Non enim patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione, vbi maſculus ſupereſt.* Sic Gloſſ. *ibi.* Burſat. *conſ.* 63. *nu.* 16. & alij adducti à Fachineo, & Claro citandis. 475 *Excludenda eſt.*

Non eſt excludenda. Quia id aperte ex *dicto capite primo* colligitur, vbi fœmina obtinēs feudum, deficientibus maſculis, excluſa non fuit à feudi poſſeſſione, ob ſuorum filiorum natiuitatem. Neque congruum erat, vt maſculus denuo natus priuaret fœminam iure iam quæſito, maxime cum hoc ius perpetuum ſit Ita Curtius iunior *de feudis, parte tertia num.* 33. Iul. Clar. § *feudum, qu.* 8. Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 41. Molina *l.* 1. *de primogen. cap.* 10. *n.* 13. Molina noſter *d.* 474. & alij plures. quos ipſi referunt. 476 *Non eſt excludēda.*

Hanc ſententiam veriorem eſſe crediderim, nec ei obſtare verba illa textus queis contraria nititur. Fateor enim, non patere locum fœminæ in feudi ſucceſſione, vbi maſculus ſupereſt, fœmina non ſuccedit in feudo interim ac ſupereſt maſculus: bene tamen illius ſucceſſionem maſculo non exiſtente requiſitam retinet, maſculo poſtmodum ſuperueniente. Nam de hac tetentione nihil tex. fuit locutus. 477 *Verior mihi ſententia hac.*

## DVBIVM CXII.

*An ſi quis accipiens emphyteuſim, ſtipulatus fuerit pro ſe, & filiis ſuis: fœmina ſit admittenda?*

478. *Non eſt admittenda.* SOlum maſculi admittendi ſunt, nõ fœminę. Quia in contractibus & ſtipulationibus, quia ſunt ſtricti iuris, interpretatio ſtricta facienda eſt. At momine filiorum non comprehenduntur filiæ niſi ex benignitate, ac fauore legis, *leg Pronunciatio, leg. Iuſta, ff de verb. ſignific. leg. Cum in adoptiuis. §. quæ in filio, ff. eodem titul.* Ergò in hoc euentu filiæ cenſendæ ſunt excluſæ. Sic Couar. *l. 2. var. cap. 18. num.* 1. Burſat. *conſ* 80. *n.* 7. Riminal. *conſ.* 153. *n.* 3 *l.* 2.

479. *Admittenda eſt.* Etiam fœminæ ſunt admittendæ. Quia eſto in materia ſtricti iuris, & quæ aliis præiudicare debet nomine filiorum filiæ non contineãtur iuxta *leg. 3. § ſed ſi incertum ſit, ff. de ventre in poſſeſ. mittendo.* fallit tamen quando ex legis diſpoſitione cõtrariũ colligitur, vt in caſu noſtro contingit: Cum æque fœminæ ac maſculi habiles ſint ad emphyteuſim. *§. emphyteuſi. Authent de non alienand. reb.* Cum autem quælibet ſtipulatio & contractus cenſeatur factus ſecundum iuris regulas, *leg. ſi ſtipulatus, ff. de vſur.* conſequens eſt, vt ſtipulatio emphyteuſis pro filiis, filias contineat, ſi quidem emphyteuſis vtriſque maſculis, ac fœminis ſit communis. Ita Salicet. *ad l. 2. de iure emphyten. qu.* 12. Decius *ad leg. 2. ff. de reg. iur. n* 9. Alciat *ad leg. ff. de verb. ſignific.* Couar. *l. 2. var. c. 18. n* 1. Pinel. *leg. 3. num. 33. c. de bonis matern.* Menoch. *conſ.* 111. *num.* 57. *&* 60. *lib.* 2. Fachin. *l.* 2. *controu. c.* 97. Molina *d.* 474. Palao *de iuſt. tr.* 22. *d.* 10. *pun.* 8. *§.* 4. *n.* 12.

480 *Cum his probabilius opinor.* Cum his probabilius opinor. Nam eſt nomine filiorum fœminæ non veniant niſi ex benignitate legis, ſufficiens fundamentum habemus, vt hac benignitate in præſenti gaudeamus. Cum hæc interpretatio diſpoſitioni legis admittentis fœminas æque ac maſculos ad emphyteuſim ſit conformis.

## DVBIVM CXIII.

*An in emphyteuſi, vel feudo hæreditario poſſit ſucceſſor, repudiata hæreditate vltimi poſſeſſoris, emphyteuſim obtinere, cum tamen primi poſſeſſoris hæres exiſtat?*

NOn poteſt. Quia emphyteuta, aut feudatarius ab vltimo poſſeſſore recipit emphyteuſim, vel feudum, immediatè, à primo autem non niſi mediantibus illis, in quos emphyteuſis, vel feudum deriuatum eſt; Ergo vltimi poſſeſſoris hæres debet eſſe. Sic Molina *d.* 472. *in fine.* 481 *Non poteſt.*

Poteſt profecto. Quia licet quilibet emphyteuta, ac feudatarius accipiat emphyteuſim, aut feudum à proprietario, qui emphyteuſim, vel feudum conceſſit tanquam à prima origine at negari non poteſt, primum poſſeſſorem hanc conceſſionem acceptaſſe, & pro ſe, ſuiſque hæredibus ſtipulatum eſſe, cuius ſtipulationis virtute quilibet eius ſucceſſor hæres capax eſt emphyteuſis; Ergò ab ipſo poſſeſſore primo tãquam à cauſa formali, & propria emphyteuſi habetur, tametſi ordine quodam ſucceſſionis deriuetur; Ergò potius ſpectandum eſt, an ſucceſſor ſit hæres primi poſſeſſoris, quam vltimi Ita Arias, Pinel. *ad l. 1. Cod. de bon. matern. p. 3. n.* 91. Iul. Clar. *§ feudum, q. 9. n.* 5. Caldas *de nominat. emphyteuſ. qu. 22. n.* 39. Aluar. Valaſc. *de iure emphyt. q. 44. n.* 19. Clarúſque teſtatur in facto Senatum Neapolitanũ iudicaſſe, ſufficere, hæred eſſe primi poſſeſſoris, quamuis vltimi non ſit. 482 *Poteſt planè.*

Hæc ſententia veroſimilior mihi addiderim, præfatum ſucceſſorem abſolutè hæredem eſſe ſaltem primi poſſeſſoris. At prima diſpoſitio, ex qua interpretatio ſumenda eſt, ſolam qualitatẽ hæredis in ſucceſſore requiſiuit. Ergo abſque fundamento reſtringitur, vt ea qualitas hęredis debeat eſſe vltimi poſſeſſoris, & non ſufficiat eſſe primi. 483 *Sententia hæc veroſimilior mihi*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN